



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Tractatvs VII. De Bonitate, & Perfectione Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

TRACTATUS VII. DE BONITATE, ET PERFECTIONE DEI.



QVAMVIS Tractatus hic secundum ordinem naturæ videbatur postponendus sequenti de Veritate Dei. Quia tamen de veritate in communi egimus iam in Pharo Scient. paucaque de ipsa Veritate Dei transcendentali naturâ præviâ ad Bonitatem restant ibi dicenda; fatius videtur Tractatum hunc cum S. Th. & alijs sequenti antepone.



DISPV TATIO XV.

De bono, & malo in vniuersum. Deque perfecto, & imperfecto. Atque adeo de bonitate, & malitia; deque perfectione & imperfectione in communi.

QVÆSTIO I.

Quid sit bonum vniuersè. Quid bonitas, Et quomplex.

DVE ante omnia distinguendæ sunt bonitates, utpote quibus prout talibus conceptus communis non datur. Alia est bonitas absoluta, à qua aliquid bonum est in se ipso. Alia est bonitas respectiua, à qua aliquid bonum est alicui. Vnde pariter duo quoque sunt distinguenda bonorum genera; absoluti videlicet, quod in se ipso est bonum; & respectiui, quod est bonum alicui. Quæ duorum bonorum diuisio imprimis habetur apud S. August. lib. 8. de Trinit. cap. 3. apud S. Th. in 2. dist. 27 q. 1. art. 2. & 1. 2. q. 26. art. 4. sæpeque alibi; & apud alios Patres. Deinde à Doctoribus scholasticis amplexatur communiter; tamen nonnulli non adeo expressè, ut oporteret, exponant illam. Et de bonitate quidem respectiua constans, & certa videtur esse sententia omnium, eam in aliquâ convenientiâ consistere, qua id, quod ab eâ dicitur bonum, ei, cui bonum dicitur, conueniens, seu congruum, seu consentaneum est. De bonitate verò absolutâ non adeo videtur exploratum, in quoniam illa conceptu ponenda sit.

Multi enim censent, eam nihilo differre à perfectione, qua quilibet in suo esse perfectum dicitur, id est, tale, cui secundum proprium genus nec deest aliquid, nec redundat, iuxta definitionem perfecti traditam ab Arist. lib. 3. Phys. text. 63. & lib. 5. Metaph. text. 21. Quoniam autem huiusmodi perfectio, seu integritas triplex est. Essentialis, qua quodlibet ens exactè est integrum quoad sua prædicta essentialia. Integralis, qua nec deest, nec redundat pars aliqua ex ijs, quibus ens

naturaliter integrari solet. Et accidentalis, qua nullum accidens debitum enti, aut etiam illi consentaneum desideratur, neque vllum superfluit. Id circo Auctores huius sententiæ triplicem bonitatem absolutam solent distinguere: essentialem scilicet, integram, & accidentalem. Ex quibus, dicunt, primam esse bonitatem transcendentali omnibus entibus conuenientem. Cùm sit impossibile, ut ens aliquid non sit integrum, quod attinet ad prædicta essentialia, quibus intrinsicè constituitur. Tamen quoad partes integrantes, & accidentia, imperfectum possit existere vel per defectum, vel per excessum. Hanc sententiam latè defendit Vazq. 1. p. disp. 23. à cap. 4. & cum eo alij plures.

Quæ tamen mihi non probatur. Primò; quia huiusmodi integritas in proprio genere (sub genere autem semper comprehenditur etiam species isto modo loquendi) & bono, & malo communis est; malum enim quâ malum etiam est integrum in proprio genere, non solùm essentialiter; (de quo non est dubium, cum planè constat, ipsius essentiæ nec posse quidquam deesse, nec redundare); sed sæpe etiam integraliter, & accidentaliter, ut ex dicendis in sequentibus apparebit. Secundò; quia bonitas absoluta essentialis ex genere eorum conceptum est, qui suscipere dicuntur magis, & minus: integritas verò essentialis minime, utpote quæ in omnimodâ exclusionè defectus, & redundantia essentialis posita est. Quo circa, cùm dicatur Angelus habere essentiam magis bonam, seu magis perfectam, seu maioris perfectionis, quàm habet homo, aut brutum; dici tamen nequit habere essentiam magis integram. Quandoquidem tam homo, quàm brutum, quàm quodlibet aliud ens non minus integrum, nec minus immune ab omni defectu, & redundantia essentiali est necessariò in suâ essentiâ, quàm Angelus in suâ; ut est manifestum. Tertio; quia ad integritatem accidentalem rei dumtaxat pertinent accidentia debita ipsi aliquo modo; atque ita, nullo eorum deficiente, adeo absolutè illa integra euadit, ut in tali integritate non possit crescere. Ad bonitatem verò rei absolutam etiam pertinent accidentia debita ipsi aliquo modo; atque ita, nullo eorum deficiente, adeo absolutè illa integra euadit, ut in tali integritate non possit crescere. Ad bonitatem verò rei absolutam etiam pertinent accidentia debita ipsi aliquo modo; atque ita, nullo eorum deficiente, adeo absolutè illa integra euadit, ut in tali integritate non possit crescere. Ad bonitatem verò rei absolutam etiam pertinent accidentia debita ipsi aliquo modo; atque ita, nullo eorum deficiente, adeo absolutè illa integra euadit, ut in tali integritate non possit crescere.

pro bonitate, & bono, ut fit sæpenuerò, diuersum conceptum obiectiuum significare, ac quando usurpantur pro integritate, & integro. Equiuocèque proinde sive analogicè iam pro vno, iam pro alio solere usurpari. De quo plura q. 2.

4 Alij censent, bonitatem absolutam rerum in earum appetibilitate, sive amabilitate consistere. Cuius sententiæ videtur esse S. Th. cum Arist. dum loquens de bono absoluto 1. p. q. 5. art. 1. ait, *Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile. Vnde Philosophus in 1. Ethic. dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt.* Sed neque sententia hæc mihi placet. Primò; quia appetibilitas, sive amabilitas passio communis est haud dubie tam bonitati respectiue, quam bonitati absolutæ: quandoquidem vtraque suo modo est appetibilis, sive amabilis; neutriusque proinde conceptus proprius potest in appetibilitate, sive amabilitate consistere. Secundò; quia non propterea dicuntur res bonæ, quia sunt amabiles; sed vice versâ idcirco euadunt amabiles, quia bonæ sunt. Vnde conceptus bonitatis tum absolutæ, tum respectiue prauum quid est ad amabilitatis conceptum. Id quod videtur sine dubio sensisse S. Th. loco citato, dum verbis relatis subiungit: *Manifestum est autem, quod vnumquodque est appetibile, secundum quod est perfectum.* Quo tamen additamento in præcedentem sententiam reiectam iam à nobis videtur recidere: nisi dicamus, ut certè possumus, *perfectum* à S. Th. hoc loco non pro integro, sed pro bono usurpari, iuxta nuperrimè notata de significatione istius nominis. Itaque cum dicit S. Th. rationem boni in appetibilitate consistere, non de appetibilitate formali, sed de fundamentali præuâ censendus est loqui. Prout illum hic interpretantur Caiet. Bann. Zamel. Nazar. Molin. & alij.

5 Propterea censeo dicendum, bonitatem absolutam in quadam veluti venustate, nobilitate, sive dignitate consistere, quam quodlibet ens positiuum eo ipso, quod habet esse, censetur habere, imprimis ab essentia suâ, deinde insuper ab adiunctis, quibus essentia melioratur, & ratione cuius est æstimabile, & amabile in se, & propter se. Vnde prædicata essentialia, & partes, & accidentia, ex quibus vnumquodque ens integratur, non ideo faciunt ipsam in se bonum, aut magis bonum, quia faciunt integrum, aut magis integrum; sed quia faciunt veluti pulchrum, sive nobile, aut magis tale; atque adeò dignum, aut magis dignum, quod æstimetur, & ametur in se, & propter se. Alioquin malum à prædicatis essentialibus, à partibusque, & accidentibus, per quæ fit integrum in suo genere, aut magis integrum, euaderet pariter bonum; aut magis bonum: cum potius eò magis malum euadat, quod magis intra suum genus integrum est. Porro hæc boni absoluti constitutio, sive explicatio ipsissima videtur esse, quam tradit S. Dionys. Areopag. cap. 4. de diuin. nomin. dum ait, *Pulchrum idem est, ac bonum: quia pulchrum, & bonum omnia expectant. Neque quidquam est totum, quæ sunt, quod boni, & pulchri non sit particeps.*

6 Quamquam enim pulchritudo propriè, & strictè sumpta in debita proportione eorum, quæ sunt visibilia consistat, ut docet S. Th. 1. p. q. 5. art. 4. ad 2. scilicet tamen, & analogicè solet pulchritudo usurpari pro eâ veluti venustate, sive nobilitate omnium rerum, à qua illæ habent esse æstimabiles, & amabiles in se, & propter se, sive esse dignas tali æstimacione, & amore; uti ab

strictâ pulchritudine res pulchræ visibiles habent, esse in se, & propter se cum quadam delectatione visibiles, & appetibiles, atque adeò esse dignas, ut tali modo videantur, & appetantur. Quæ quidem omnium rerum quasi venustas, sive nobilitas ipsissima est earum bonitas absoluta. Iureque proinde dicitur bonitas absoluta rerum in earumdem veluti venustate, seu pulchritudine, sive nobilitate consistere. Qui quidem bonitatis rerum conceptus respectiue ad cognitionem, & volitionem solet exponi, per quas æstimabiles, & amabiles in se, & propter se res euadunt à bonitate ipsâ. Quin obstat id, ut bonitas hæc, à qua res habent esse in se bonas earum bonitas absoluta dicatur ad distinctionem alterius bonitatis, à qua habent esse bonas non in se, sed alicui tanquam subiecto, quæ iure dicitur respectiua. Videatur Petauius tom. 1. de Theolog. dogmat. lib. 6. cap. 8. vbi ex Patribus, & Philosophis non pauca spectantia ad rem habet scripta de Pulchritudine prout coincidente cum bonitate, scilicet absoluta.

7 Iam verò bonitas respectiua (ut principio dicebam) in conuenientiâ quadam consistit iuxta sententiam omnium, qua aliquid alicui conueniens, seu congruum, seu consentaneum, atque adeò bonum dicitur. Videtur tamen inter Doctores esse dissidium primò; an respectus conuenientiæ, quem bonum respectiuum importat, terminetur ad appetitum, à quo illud est appetibile; an verò ad aliud quidpiam. Primum videtur tenere S. Th. q. 1. de verit. art. 1. post medium corp. sic concludens, *Conuenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen bonum.* Et 1. p. q. 5. art. 4. ad 1. dicens, *Bonum propriè respicit appetitum.* Consentit Alen. apud Fasol. 1. p. q. 5. art. 1. dubit. 1. & alij. Secundum verò tenent communiter Doctores, quorum plures refert, & sequitur idem Fasol. dubit. 2. censentes, respectum conuenientiæ, quem bonum respectiuum importat, ad eam rem terminari, cui illud est bonum, ut est calor igni, humiditas aquæ, sanitas animali, &c. Id quod etiam docet S. Th. 1. 2. q. 18. art. 5. dum ait, *Vnicuique rei est bonum, quod conuenit ei secundum suam formam.* Cæterum dissidium hoc facillimè componitur, distinguendo respectum secundarium appetibilis tam absoluto, quam relativo bono communem; & respectum primarium conuenientiæ, quo constituitur relationem. Certum quippe est, primum, de quo agit prima sententia, ad appetitum terminari; & secundum, de quo agit secunda, terminari ad illud subiectum, cui bonum relatiuum conueniens est. Quo cessat controuersia.

8 Secundò est inter Doctores dissidium; an respectus, quem dicitur bonum quouis, ex dictis modis sumptum sit relatio rationis, vel quid prorsus reale. Esse relationem rationis tenet Fasol. dubit. 5. cum S. Th. Fons. Molin. & alijs à se relatis. Oppositum tamen tenet Soar. disp. 10. Metaph. sect. 3. cum alijs pluribus. Verùm hæc controuersia iam sub vniuersalioribus terminis discussa est à me in Phæto. Scient. disp. 12. quæst. 3. Vbi ostendi, omnem denominationem extrinsecam, & semiextrinsecam, sæpeque etiam intrinsecam in suo conceptu formali aliquam importare relationem rationis, non fictam, sed suppositiciam, tamen loquendo absolute cum veritate dicatur dari realiter, aut esse quid reale ob realitatem fundamentorum, quæ sub talem conceptum formalem veniunt à nobis cognoscenda. Certum enim

enim est, denominationem appetibilis, seu amabilis cadentem supra omne bonum, aut extrinsecam, aut semiextrinsecam esse, Denominatio autem conuenientis, qua bonum relatum dicitur conueniens, seu consentaneum alteri enti, etiam est semiextrinseca sitra omne dubium: quia includit semper in suo fundamento adæquato & id, quod dicitur bonum, & subiectum, cui bonum dicitur cum suis circumstantijs, etiam quando bonum ad subiectum intrinsecè relatum est, vt quando est actio, vel alius modus eius. Denominatio verò, qua vnumquodque est sibi ipsi conueniens, atque adeò bonum iuxta dicenda postmodum, etiam si sit intrinseca, relationem pariter rationis supposititiuam importat in suo conceptu formali: quia est conceptus respectiuis in mente nostrà dumtaxat, & non à parte rei. Quæ omnia ex doctrinâ loco citato traditâ, & ad rem recognoscendâ comperta sunt.

Porro bonum relatum, siue respectiuum in tria membra diuiditur ab omnibus communiter: nimirum in bonum honestum, bonum delectabile, & bonum vile. Bonum honestum dicitur id, quod naturæ rationali quatenus tali conueniens, seu consentaneum est, vt sunt actus eius honesti. Bonum verò delectabile appellatur id, quod naturæ intelligenti, aut sentienti prout tali est consentaneum, siue commodum; eique subiunde delectationem parit. Ad bonum autem delectabile reduci debet, quidquid cuius entis, etiam insensibili, & non vitali conueniens est, & consentaneum, siue congruum, illud ve quoquo modo perficit, (Porro bonum primi membri etiam dici solet bonum morale, & bonum secundi bonum physicum, loquendo vniuersè). Vtile denique bonum venit dicendum, quidquid quouis modo conducit, vt existat quoduis ex alijs bonis, nempe vt existat quoduis bonum honestum, aut delectabile, atque etiam quoduis absolutum. Conducere autem potest vnum ens, vt existat aliud, vel tanquam causa eius cuiusvis generis, vel tanquam conditio causandi, vel tanquam terminus connexionis, sine quo aliud nequit existere. Ad hæc enim tria capita reuocatur omnis utilitas, seu conducentia. Ad bonum autem vile conducens, vt existat aliud bonum, reducitur, quidquid conducit, vt non existat malum; quando, non existere malum, est bonum iuxta dicenda infra q. 3.

Est tamen aduertendum, bonum vile conducens ad bonum absolutum nulli subiecto esse bonum, sicut id, ad quod est vile, non est bonum vlli subiecto; atque ita tantum habet respectum utilitatis, seu conducentiæ ad tale bonum. Bonum verò utile conducens ad bonum respectiuum, præter respectum utilitatis ad tale bonum, insuper habet respectum ad subiectum, cui bonum est, nempe ad illud ipsum, quod respicit vt quid ei conueniens bonum, ad quod est vile. Vnde in rigore solum vile ad bonum relatum cadit sub definitionem boni relati traditam p. 7. quia illud solum est bonum conueniens alicui vt subiecto; vile verò ad bonum absolutum, etsi habeat respectum conducentiæ ad illud tanquam ad finem, cætenus potius inter bona absoluta, quam inter relata poterit recenseri, quatenus, qua ratione est bonum, non alteri tanquam subiecto, sed in se ipso bonum est. Porro bonum quoduis vile præcisè quæ tale bonum causatiuè tantum poterit iure dici, quatenus tota bonitas eius in solâ conducentiâ ad bonum consistit: cum

tamen cætera omnia bona formaliter talia veniant iure dicenda. Plura circa hanc diuisionem boni relati videri possunt apud Soar. disp. 10. Metaph. sect. 2.

Deinde est animaduertendum, inter bona relata non solum ea censenda esse, quæ à subiecto, cui bona sunt, distinguuntur realiter; sed etiam, quæ cum ipso identificantur, quatenus hæc ipsi subiecto maximè conuenientia sunt, atque consentanea. Quid enim magis mihi conueniens, magisque consentaneum, quam meum proprium esse, & quidquid mecum ipso est idem? Ex quo patet, quodlibet ens & esse bonum in se, per bonitatem absolutam, & esse bonum sibi per bonitatem relatum. Quæ duæ bonitates, licet realiter sint idem in quolibet ente, ex proprijs tamen conceptibus diuersæ sunt, vt ex se apparet. Prima enim aut est integritas entis, vt quibusdam placet, aut potius, vt nobis aridet, venustas, seu nobilitas, seu dignitas entis iuxta superioris dicta. Secunda verò est conuenientia, qua vnumquodque sibi ipsi est conueniens. Quæ quidem conuenientia, licet propriè non sit relatio: quia idem ad se ipsum per sua intrinseca præcisè propriè relatum dici non potest; inter bonitates tamen relatas iure connumeratur; tum quia insit relationis eiusdem ad se ipsum concipitur: tum maximè quia actum voluntatis comparatum perinde, ac bonitas propriè relata, terminare valet, gerente munus eodem ente duorum obiectorum, nimirum & boni, quod voluntas vult, & subiecti, cui illud vult. Vnde, cum dixisset S. Th. 1. p. q. 20. art. 1. ad 3. *Quid alius amoris semper tendit in duo, scilicet in bonum, quod quis vult alicui, & in eum, cui vult bonum: hoc enim est propriè amare aliquem, velle ei bonum: mox subdit, Et pro tanto dicitur amor vis vniuersa etiam in Deo, sed absque compositione: quia illud bonum quod vult sibi, non est aliud, quam ipse, qui est per suam essentiam bonus.* Nec solidum ens bonum in se bonitate absolutâ essentiali est quoque bonum sibi bonitate respectiuâ; sed etiam ens bonum in se bonitate absolutâ integrali, & accidentaliter (iuxta mox dicenda) quæ tale, Nam vnicuique entis est conueniens, atque adeò respectiuè bonum, quod sit in se venustum, atque adeò bonum absolutè, non solum essentialiter, sed etiam integraliter, & accidentaliter. Aliter insuper quoduis ens erit sibi respectiuè bonum casualiter, quoties sibi aliquo modo fuerit causa alicuius proprii boni respectiuu formalis.

Præterea est animaduertendum, bonum in se absolutum per bona relata toties augeri, quoties per ea aliquo modo sibi adiuncta illud euadit melius, seu magis bonum. Euadit autem tale, quoties subiectum boni relati per illud melioratur, siue perficitur. Sic equus, qui à suâ essentia præcisè est bonus bonitate absolutâ, à paribus integritatibus tali suæ essentia conuenientibus euadit melior, seu magis bonus bonitate pariter absolutâ, rursusque ab accidentibus eidem essentia conuenientibus euadit adhuc melior; seu magis bonus bonitate absolutâ similiter. Vnde quoduis ens tribus modis venit dicendum bonum in se absolutè, essentialiter scilicet, integraliter, & accidentaliter; triplicemque subiunde bonitatem absolutam dici potest habere: essentialiter scilicet, integram, & accidentalem. Ex quo fit, vt ab eisdem rebus fundamentis in vno, & eodem ente repertis, penes diuersas consideraciones confurgant plura, & diuersa bona, pluresque sub-

subinde, atque diuersa bonitates. Primum enim tale ens ab unitate subiecti dicitur esse vnum bonum in se absolutum; tamen totidem bonitates absolutas dici possit habere, quot habet tum prædicata essentialia, tum partes integrantes, tum accidentia, à quibus tum essentialiter, tum integraliter, tum accidentaliter bonum in se absolutum euadit. Concreta siquidem adiectiua ab unitate subiectorum desumunt unitatem, quidquid sit de pluritate formarum, iuxta doctrinam vniuersalem à nobis traditam in Pharo Scient. disp. 2. q. 4. coniect. 3. & hoc concretum bonum, sicut & alia huiusmodi, ordinariè sumitur adiectiue, quamuis nihil vetet, illud pro libito vrentis substantiè usurpari iuxta dicta ibidem. Deinde ipsa prædicti entis prædicata essentialia, partes integrantes, & accidentia quatenus ei tanquam subiecto sunt conuenientia, seu consentanea, vnumquodque suo modo, totidem sunt bona relata, seu respectiua comparatione ipsius. Quorum bonitates respectiue in eorundem conuenientijs sumptis in abstracto consistunt. Quamuis tam abstracta, quam concreta huiuscemodi eadem plerumque habeant fundamenta realia: vt ex dictis etiam loco citato Phari colligere est. De quibus omnibus plura in sequentibus dicenda venient.

Sed dubitari in presenti potest; quæ sunt respectiue bona comparatione alicuius subiecti, eo quod ipsi sunt aliquo modo conuenientia, seu consentanea, sint eo ipso melioratiua, seu perfectiua ipsius, ita, vt ab illis subiectum ipsum euadat in se absolute bonum, aut magis bonum. Et vice versà; an omnia, à quibus quoduis subiectum euadit in se absolute bonum, aut magis bonum, sint eo ipso insuper bona relata, seu respectiua comparatione ipsius. Pro priori parte dubitationis censeo distinguendum imprimis esse duplex genus bonorum respectiuorum, ad subiectum. Primum est eorum, quorum bonitas præcisè est utilitas, seu conducentia ad obtinenda alia bona; quæ proinde non tam ratione sui, quam ratione eorum, ad quæ conducent, sunt conuenientia, atque adeo bona subiecto. Secundum verò est eorum, quæ per se, & ratione sui, & non præcisè vt utilia ad aliud, sunt conuenientia, seu consentanea, atque adeo bona subiecto. Quorum priora cauatiue tantum bona subiecto appellanda veniunt: cum tamen posteriora formaliter sint illi bona iuxta notata supra. Quo posito, censeo deinde, omnia bona relata secundi generis eo ipso esse perfectiua, siue melioratiua subiecti, atque adeo talia, vt non possit non subiectum euadere ab illis in se absolute bonum, aut magis bonum: bona verò relata prioris generis non ita. Quoniam non videtur intelligibile, quod sit aliquid per se, & formaliter, & ratione sui conueniens, atque adeo bonum subiecto, quin sit perfectiua ipsius; cum tamen sit clarum, non esse aliquid perfectiua subiecti ex eo præcisè, quod sit ei utile ad aliud, quidpiam perfectiua. Exempla autem amborum generum bonorum relatorum, utpote satis, superque obuia, ab vnoquoque excogitari, & applicari poterunt. Hinc pro posteriori dubitationis parte dicendum sequitur, quidquid reddit subiectum bonum in se absolute, eo ipso esse ei respectiue bonum: quia nequit non esse subiecto conueniens, quidquid reddit illud venustum. Hæc autem dicta sunt de subiectis per bona etiam à se distincta perfectibilibus, qualia sunt sola subiecta creata. Nam Deus per nullum bonum à se distinctum est perfe-

sibile iuxta dicenda de bonis Dei infra disp. 16. Quo circa bona Dei ab ipso distincta non possunt non aliter esse bona ipsi, ac sunt bona creaturis earum bona ab ipsis distincta, prout ibi fufius explicabimus.

Denique est animaduertendum, sæpe sæpius vnum bonum prout tale materiam esse, siue subiectum alterius boni aut diuersi generis, aut eiusdem, cadente videlicet saltem per considerationem, siue rationem nostram bonitate boni secundi supra integrum bonum primum. Quo pacto bonum absolutum sæpe sæpius est materia, siue subiectum boni relati; & bonum relatum boni absoluti, & vnum bonum relatum alterius relati, & vnum bonum absolutum alterius absoluti. Demus omnium exempla. Quod equus sit bonus in se bonitate absolute, domino equi tanquam subiecto est bonum bonitate relata: & quod sanitas, quam equus habet, sit ipsi equo tanquam subiecto bona bonitate relata, bonum quoddam est in se bonitate absolute: idemque ipsum insuper altera bonitate relata bonum est domino equi tanquam subiecto: demum equus prout bonus absolute bonitate essentiali per bonitatem integram, atque etiam per accidentalem superadiectam alter absolute etiam bonus, & rursus aliter potest considerari. Pariterque passim euenit in similibus. Quod si vnum bonum prout tale sæpe est materia alterius boni, siue eiusdem generis, siue diuersi; multo sæpius eadem materia prout ab omni bonitate præcisè simul multorum bonorum tum eiusdem, tum diuersorum generum materia est. Ita enim essentia equi bona imprimis est absolute per tres bonitates, per essentialem, per integram, & per accidentalem: deinde ipsi equo tanquam subiecto est bona relatiue: præterea domino equi tanquam subiecto etiam est relatiue bona. Similiterque sanitas equi & absolute est bona in se essentialiter, integraliter, atque accidentaliter; & ipsi equo, ipsiusque domino simul est bona relatiue. In cæterisque huiusmodi similiter euenit. Quomodo autem vnumquodque istorum bonorum sit appetibile, siue amabile, & per quos actus in tract. de Volunt. examinandum à nobis est. In tract. autem de Proidentia veniet etiam examinandum, an quoduis bonum habeat rationem finis, & qualiter. De quo agit S. Th. 1. p. q. 3. art. 4. sæpeque alibi.

Postremo est aduertendum, secundum S. August. in lib. de natura boni cap. 3. & 4. & S. Thom. sequutum 1. p. q. 5. art. 3. sæpeque alibi bonum ex modo, specie & ordine consistere, siue in hisce tribus consistere. Loquitur autem S. August. vt constat ex contextu, atque adeo etiam S. Thom. de bono creato, & absoluto. Sed quid sint modus, species, & ordo iuxta mentem S. Augustini, variè exponunt Auctores, nec vacat modò eorum expositiones examinare; videantur apud illos. Ego arbitror, modum esse attemperationem, speciem naturam, & ordinem proportionem eorum, ex quibus seu realiter, seu per rationem coalescit bonum. Ex his namque tribus videtur consistere ea entis quasi venustas, in qua consistit apud me bonitas absolute eius. Quæ explicatio in eam recidit, quam affert, & eruditè comprobat Petau. lib. 6. Theol. dogm. cap. 1. à n. 8.

Q. A.

QVÆSTIO II.

Quid ſit perfectum in vniuerſum. Quid perfectio. Et quatuorplex.

- 16 **P**erfectum, ſi etymologiam ſpeciet, idem ſonat, quod totaliter factum, vt notat S. Th. 1. p. q. 4. art. 1. Quia tamen totaliter factum eo ipſo ita eſt integrum, vt nihil ei deſit eorum, quæ ad eius conſtitutionem pertinent; perfectum deſin pro integro, cui nihil in ſuo genere deſit, venit vniuerſe vſurpandum. Quo ſenſu dixit Ariſt. lib. 3. Phyiic. text. 63. & lib. 7. Metaph. text. 21. *Perfectum eſſe, cuius nihil eſt extra.* Potest autem quidpiam integrum eſſe aut quoad eſſentialia præciſe, aut etiam quoad partes integrantes, aut inſuper quoad accidentia, prout dicebamus q. 1. num. 2. Ceterum, quia tam malum, quam bonum, vnum quodque in genere ſuo, quoad eſſentialia quidem neceſſario eſt integrum, & poteſt item integrum eſſe quoad partes integrantes, & accidentia, ſcilicet opus eſt, id ſolum, quod integrum eſt in ratione boni, dici perfectum. non item, quod integrum eſt in ratione mali. Et quoniam, quantumuis quidpiam ita ſit integrum, vt nihil ei deſit ex debitum in ſuo genere, ab aliquo redundante indebito poteſt malum euadere; idcirco id ſolum dicitur perfectum, quod & ab omni deſectu debitorum, & ab omni redundantiã indebitorum immune proſus eſt.
- 17 **I**taque perfectum, propriè, & ſtriçtè loquendo, id ſolum venit appellandum, quod in ratione boni ita eſt in ſuo genere integrum, & vt aiunt, omnibus numeris abſolutum, vt neque deſit ei aliquid eorum, quæ ex vnâ parte ſunt illi aliquo modo debita, & ex aliã ſunt ipſius bonificatiua, ſue melioratiua; neque redundet aliquid eorum, quæ ſunt ipſius malificatiua, vt ſic dicam, ſeu deterioratiua, atque adeo aliquo modo indebita. Cuius ſubinde perfecti forma nuncupata perfectio in immunitate ab omni deſectu dictorum debitorum, & ab omni redundantiã dictorum indebitorum poſita eſt. Vnde planè colligitur, perfectum ita ſtriçtè ſumptum, & perfectionem eius ex genere eorum conceptum eſſe, qui non ſuſcipiunt magis, & minus: quia neque erit perfectio immunitas à deſectu, & à redundantiã prædictis, ſi non ſit ab omni; nec maior, quam ab omni, eſſe poteſt. Ex quo ruruſ fit, vt, ſtando in iſtâ perfecti, & perfectionis acceptione, nullum ens dici poſſit eſſe aut magis, aut minus perfectum, quam aliud, maioremvè, aut minorem, quam aliud, perfectionem habere. Comparatis enim e. g. inter ſe inuicem homine, & equo, vel vnusquique eorum in ſuo genere, ſue in ſua ſpecie (ſub genere quippe, vt iam notauimus, ſemper comprehendimus etiam ſpeciem iſto loquendi modo) eſt proſus immunis ab omni deſectu, & redundantiã prædictis, vel alter eorum tantum. Si primum; tam immunis erit ab illis equus in ſua ſpecie, quam homo in ſua; & conſequenter tam perfectus, & vice verſa. Si ſecundum; qui fuerit immunis, ſolus erit perfectus, alter verò nequaquam; proindeque neuter eorum aut magis, aut minus perfectus altero dici poterit. Cùm certum ſit, conceptus comparatiuos poſitiuos ſupponere; atque ita non poſſe dici vnum extremum eſſe magis tale, quam alterum, niſi quando ambo ſunt talia.

Quæ cum ita ſint; manifeſtè conſequitur, hæc nomina *perfectum*, & *perfectio* in latiori ſignificatione vſurpari communiter; eum dicitur; vt euenit paſſim; vnum ens magis perfectum eſſe, quam aliud; & vna perfectio maior, quam alia. Vſurpatur autem nomen *perfectum* in iſtâ latiori acceptione pro bono abſoluto; pro bono verò relativo non item. Quod conſtat. Quia entia in ſe æqualiter, aut inæqualiter bona eo ipſo dicuntur æqualiter, aut inæqualiter perfecta; entia verò æqualiter, aut inæqualiter bona alicui ſubiecto non dicuntur æqualiter, aut inæqualiter perfecta tali ſubiecto. Nomen verò *perfectio* in iſtâ etiam latiori acceptione bifariam vſurpatur. Primò pro bonitate abſoluta quæ eſt forma boni abſoluti, & conſequenter perfecti latè vſurpati pro tali bono. Secundò pro bono reſpectiuo ad ſubiectum, quod iuxta diuiſionem ſupra tactam n. 13. talis ſubiecti melioratiuum, ſeu perfectiouiũ eſt; eoque iure dici ſolet perfectio eius.

Ex quibus omnibus concluditur, perfectum duplex eſſe. Aliud ſtriçtum, quod eſt bonum in ſuo genere integrum modo explicato. Aliud latum, quod eſt bonum abſolutum in vniuerſum. Perfectionem autem ſimiliter duplicem eſſe. Aliam ſtriçtam, quæ eſt integritas, ſue formæ perfecti ſtriçti. Aliam latam, & hanc ruruſ duplicem. Nempe vel bonitatem abſolutam, ſue formam perfecti lati. Vel bonum reſpectiuum ad ſubiectum ipſius ſubiecti melioratiuum, ſeu perfectiouiũ, dictumque ob id ipſius perfectiouiũ.

Est tamen adnotandum primò, redundantiã indebitorum, cuius immunitas requiritur ad perfectum ſtriçtum, ad deſectum debitorum poſſe reduci, ſi contradictoria indebitorum, quæ eo ipſo ſunt debita, debitis alijs annumerantur. Quo pacto perfectum ſtriçtum dicitur compendij cauſa, quod in ratione boni ita eſt integrum, vt nullum illi deſit ex bonis debitis; ſue integrum quoad bonitatem ſibi debitam.

Secundò eſt adnotandum, perfectionem conſiſtentem in bono relato perfectiouiũ relatam, alias verò duas abſolutas dici poſſe, & diſtinctionis gratiã debere: ſicque aliter perfectio diuidenda veniet primò in relatam, & abſolutam; & ruruſ abſoluta in ſtriçtam, & latam.

Tertiò, à perfectionibus relatis euadere vnumquodque in ſe abſolutè perfectum, æquè, ac à bonis relatis formalibus euadit vnumquodque in ſe abſolutè bonum iuxta dicta q. 1.

Quartò, nomina *perfectum*, & *perfectio* pro prædictis tribus conceptibus obiectiuis, vt potè inter ſe diſſimilibus æquiuocè, ſue analogicè vſurpari, vt in eadem quaſt. 1. iam prænotatum eſt.

Quinto denique, nomen *perfectio* non tantum pro formâ perfecti, ſed etiam pro perfectio ipſo (præſertim quando illud ſumitur pro bono abſoluto) ſæpe vſurpari, vt ſolent abſtracta *entitas*, & *quantitas* vſurpari pro *ente*, & *quanto*. Cùmque etiam nomen *perfectio* pro bono relato ſubiecti perfectiouiũ ſumatur, prout dictum eſt; conſtituitur illud æquiuocè, ſue analogicè iam pro bono abſoluto, iam pro dicto bono relato venire vſurpandum.

QVÆSTIO III.

Quid sit malum in vniuersum. Quid malitia. Et quotuplex.

25 **Q**uemadmodum q. 1. ente omnia bonum distinximus in absolutum, & respectiuum, siue relatum. Ita in præsentem malum in absolutum, & relatum est nobis in primis distinguendum. Est autem malum absolutum id, quod in se ipso malum est. Malum verò relatum id, quod alicui tanquam subiecto est malum. Quam mali diuisionem tradunt Soar. disp. 11. Metaph. sect. 1. n. 8. & sect. 2. n. 1. Vaz. 1. p. disp. 23. cap. 4. n. 8. & alij communiter vel tradunt etiam expressè, vel planè supponunt.

26 Porro, qui censent, bonitatem absolutam rerum in earum integritate consistere, prout vidimus q. 1. in defectu talis integritatis ponunt malitiam absolutam oppositam. Et quoniam nullares potest vllum habere defectum integritatis essentialis, idcirco secundum sententiam istam, nulla res potest esse mala quoad suam essentiam, siue naturam. Tunc verò defectu integritatis accidentaliter mala res erit, quando aliquid ipsi aliquo modo debitum, ad talemque proinde integritatem intrinsicè requisitum ipsi defuerit. Qui autem censent, bonitatem absolutam rerum in ipsarum amabilitate consistere, iuxta dicta ibidem, consequenter debent asserere, in odibilitate oppositâ consistere earum absolutam malitiam.

27 Nos verò, qui in eadem q. 1. absolutam rerum bonitatem posuimus in earum veluti venustate, à qua dignæ euadunt, vt æstimentur, & amentur in se, & propter se, consequenter absolutam rerum malitiam ponimus in earum veluti foeditate, à qua dignæ euadunt vice versâ, vt in se, & propter se despiciantur, & odio habeantur. Nomine autem amoris, aut odij rerum impræsentiarum quæuis earum complacentia, siue prosecutio affectiua, aut dispiciencia, siue fuga affectiua venit intelligenda.

28 Iam, quemadmodum bonitas relata, siue respectiua in conuenientiâ quadam consistit, qua aliquid alicui conueniens, seu congruum, seu consentaneum, atque adeo bonum dicitur, prout supra dicebamus q. 1. n. 7. Ita malitia relata, seu respectiua in quadam disconuenientiâ consistit, qua aliquid alicui disconueniens, seu incongruum, seu dissentaneum, atque adeo malum dicitur. Circa quod ita generatim asertum nullum est apud Auctores dissidium.

29 Et quemadmodum bonum relatum in tria membra diuiditur communiter, prout vidimus n. 9. scilicet in bonum honestum, bonum delectabile, & bonum vtile. Ita etiam malum relatum in tria pariter membra diuidendum venit; nimirum in malum inhonestum, seu turpe, malum doloriferum, & malum vtile. Malum turpe dicitur id, quod naturæ rationali prout tali est disconueniens, seu dissentaneum, vt sunt actus eius peccaminosi. Malum verò doloriferum vocatur id, quod naturæ intelligenti, aut sentienti prout tali dissentaneum, seu incommodum, seu vexatium est; eiusque subinde dolorem creat. Ad quod malum reducitur quidquid cuiuslibet omnino enti aliter est disconueniens phy-

ficè, illud ve vitiat quoquo modo. (Solet autem malum primi membri morale: malum autem secundi physicum in vniuersum nuncupari). Vtile denique malum appello, quod aliqua ratione conducit, vt existant cætera mala, prout dictum est loco citato de bono utili. Quidquid enim secum fert malum, eo ipso malum censetur, & odibile ob talem ad malum conducentiam; quemadmodum, quidquid secum fert bonum, eo ipso bonum censetur, & amabile ob talem conducentiam ad bonum. Et sicut ad bonum vtile conducens, vt existat bonum, reducitur quidquid conducit, vt non existat malum, quando non existere malum est bonum; ita ad malum vtile conducens, vt existat malum, reducitur, quidquid conducit, vt non existat bonum, quando non existere bonum, est malum. Malum autem vtile vniuersè causatiuè tantum malum poterit dici ad distinctionem cæterorum malorum, quæ talia formaliter veniunt dicenda; vt statutum est de bonis in simili q. 1. Omitto hîc celebrem illam diuisionem mali in malum culpæ, & malum pænæ: quia solum est mali conuenientis creaturæ peccantis. De qua videri possunt S. Th. cum suis expositoribus 1. p. q. 48. art. 5. & 6. & Soar. disp. 11. Metaph. sect. 2.

30 Sed est norandum, (vti pariter de bono utili est notatum ibidem), malum vtile conducens, vt existat malum absolutum, qua ratione est malum, non alicui tanquam subiecto, sed in se ipso malum esse; proindeque inter absoluta mala, quæ in se, & non alteri sunt mala, censeri possent; tamen respectu conducentiæ ad malum absolutum, ad quod conducit, sit respectiuum tanquam ad finem. Vnde illud sub definitione nuper datâ mali relati non comprehenditur: vt comprehenditur malum vtile conducens, vt existat malum, relatum; vt pote quod, præterquam ad finem, ad quem ducit, insuper ad subiectum, cui est malum, relatum est.

31 Quemadmodum autem, (vti etiam diximus quæst. 1.), quidquid in se est absolutè bonum, sibi quoque est respectiue bonum: quia vnicuique conueniens est, esse in se venustum. Ita etiam, (vt pariter dicimus modò), quidquid in se est absolutè malum, sibi quoque est respectiue malum: quia vnicuique est disconueniens, esse in se foedum. Et, sicut aliter sibi bonum est causatiue, quidquid est sibi causa boni; ita etiam aliter sibi malum est causatiue, quidquid est sibi causa mali.

32 Deinde, sicuti bonum absolutum iuxta dicta ibidem per bona relata toties augetur, quoties per ea aliquo modo sibi adiuncta illud euadit magis bonum; euadit autem tale, quoties subiectum boni relati per illud perficitur. Ita malum absolutum per mala relata toties augetur, quoties per ea aliquo modo sibi adiuncta illud euadit magis malum; euadit autem tale, quoties subiectum mali relati per illud vitatur. Vnde, sicut bonum absolutum trifariam potest esse tale, nempe essentialiter, integraliter, & accidentaliter. Ita malum absolutum trifariam tale potest considerari, essentialiter scilicet, integraliter, & accidentaliter: tamen malum essentialiter non sit possibile; vt infra ostendetur. Euadit autem subiectum malum in se absolutè ab omni illo, quod est ipsi respectiue malum per se, & formaliter; secus ab eo quod tantum causatiue. Et quidquid reddit subiectum malum in se absolutè, ipsi respectiue malum est; vt de bono in simili dictum

L I I
est

est pariter loco saepe citato. (Loquendo videlicet de solis subiectis creatis: nam Deus, qui per nullum bonum à se distinctum perfici potest, multo minus per aliquod malum potest vitari. De quo plura disp. 16.) Quomodo autem vnum malum, possit esse materia alterius vel diuersi generis, vel eiusdem. Et eadem possit esse materia plurium, & diuersorum malorum, ex dictis circa bonum q. 1. sub finem colligi potest, obseruatis tamen deferentis repertis inter bonum, & malum tum iam tactis, tum in sequentibus exponendis.

QVAESTIO IV.

Quid sit imperfectum in vniuersum. Quid imperfectio. Et quatuorplex.

33 **I**mperfectum imprimis dicitur ab omnibus communiter, quicquid non est perfectum. Vnde quia perfectum bifariam sumitur, vt vidimus q. 2. Primò striè pro integro quoad bonitatem sibi debitam. Secundò latè pro bono absoluto in vniuersum. Imperfectum iuxta acceptionem istam bifariam quoque sumendum venit. Primò pro eo, quod non est integrum quoad bonitatem sibi debitam. Secundò pro eo, quod non est absolute bonum aliquo genere bonitatis. Verum; quia potest aliquid esse absolute non bonum, quin sit malum, bonitate scilicet sibi non debita; duplex imperfectum oppositum perfecto sumpto pro bono absoluto distinguendum est; nimirum non bonum; & malum. Quorum primum imperfectum negatiue; secundum imperfectum positiuè dici solent communiter: qualiter à nobis etiam deinceps distinctionis gratia dicentur. Ex quibus patet, esse tres imperfecti acceptiones. Quae tamen ad duas postremas compendij gratia reduci poterunt. Nam, licet imperfectum sumptum pro non integro quoad bonitatem debitam, & imperfectum sumptum pro malo absoluto ex proprijs conceptibus sint inter se diuersa, re tamen ipsa in idem coincidunt semper, ad conuertentiamque dicuntur. Quippe omne non integrum quoad bonitatem debitam eo ipso est absolute malum; & omne absolute malum eo ipso est non integrum quoad bonitatem debitam; vt ex dicendis in sequentibus amplius constabit. Itaque omne imperfectum aut positiuè tale; aut negatiue tale est: quia aut malum absolutum, aut non bonum absolutum est.

34 Hinc duplex pariter venit distinguenda imperfectio, prout est abstractum imperfecti. Altera, quae forma est imperfecti positiuè, & nihilo differt à malitià absoluta, quae mali absoluti forma est; imperfectioque positiuè vocari potest. Altera, quae forma est imperfecti negatiue, & in defectu bonitatis absolute consistit; imperfectioque negatiua dicenda venit. Vtraque tamen, est imperfectio absoluta opposita perfectioni absolute.

35 Cæterum, sicut datur insuper perfectio relativa consistens in bono relato melioratio, sive perfectiuo subiecti, cui bonum est, vt vidimus q. 2. ita datur etiam imperfectio relativa. Et hæc omnino est duplex. Altera nihilo differens à malo relato. Altera consistens in defectu boni relati non debiti; qui defectus eo ipso malus non est. Quarum prima (similiter ac de absolutis diximus) positiuè, secunda vero negatiua distinctionis gra-

tià dicentur, Ex quibus apparet, imperfectiorem vniuersè sumptam primò in absolutam, & respectiuam; secundò vnamquamque earum in positiuam, & negatiuam venire diuidendam. Appello autem in precedentibus vniuersè defectum bonitatis, aut boni, quicquid bonitatis aut boni exclusiuum est quoquo modo sive contradictorie, sive contrarie.

Est tamen adnotandum primò; quemadmodum à bonis relatis formaliter talibus euadit vnumquodque in se absolute bonum; & consequenter à perfectionibus relatis absolute perfectum iuxta dicta q. 1. & 2. & à malis relatis formaliter talibus euadit pariter vnumquodque in se absolute malum, prout dictum est q. 3. ita ab imperfectiōibus relatis euadere vnumquodque in se absolute imperfectum; nempe imperfectum positiuè ab imperfectiōibus positiuis; & imperfectum negatiue ab imperfectiōibus negatiuis.

Vnde secundò adnotandum sequitur; quemadmodum bonum, perfectum, & malum absolutum trifariam tale considerari potest, prout etiam in citatis quæstionibus visum est; nempe essentialiter; integraliter, & accidentaliter; itaque quoque imperfectum absolutum tam positiuum, quam negatiuum trifariam tale posse considerari; essentialiter scilicet, integraliter, & accidentaliter; tamen si imperfectum positiuum tale essentialiter non sit possibile; sicut nec malum, cum quo coincidit, iuxta notationem factam q. 3. prout ex dicendis in sequentibus apparebit.

De imperfecto vero negatiue, seu negatiuo sequitur adnotandum tertio; non propterea nuncupari tale, quòd semper per aliquam veram negationem maioris, sive vltioris perfectionis sibi non debita constituitur. Sæpe enim constituitur per prædicatum positiuum, inferens tamen necessariò negationem alicuius perfectionis maioris; quæ quidem negatio non vera, sed supposititia est cum fundamento in rebus ipsis. Quo titulo omni huiusce generis imperfectum iure appellatur negatiuum, seu negatiue tale. Explicemus hæc omnia.

Etenim imperfectum negatiuum, quod essentialiter tale est, à prædicato positiuo secum identificate realiter prout alteri maioris perfectionis opposito, atque adeò cum illo in eodem ente incompatibili euadit tale. Quoties enim duo prædicata ex suis conceptibus sunt opposita, atque adeò vicissim incompatibilia in eodem ente, realiter, quoduis eorum à re, cui conuenit, cesset excludere alterum, atque ita secum ferre alterius negationem annexam. Quo circa illud, quod minoris est perfectionis quatenus alterius exclusiuum imperfectio negatiua eius rei, cui conuenit, venit dicendum, vt potest reddens illam minus perfectam, quam esset, si haberet alterum loco eius. Cæterum, quia huiusmodi exclusio, seu negatio sumpta formaliter aliud non est ab exclusione, seu negatione identitatis dictæ rei, & dicti prædicati maioris perfectionis; & omnis negatio identitatis extremorum reipsa distinctorum necesse supposititia est habens pro fundamento reali ipsa dumtaxat extrema positiuè inter se distincta citra omnem veram negationem, vt constat ex generali doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disp. 10. q. 4. & sæpe alias; conficitur, imperfectum negatiuum essentialiter tale per prædicatum positiuum citra omnem veram negationem constitui reipsa; tamen si conceptus eius formalis aliquam

soleat ferre secum suppositivam negationem, propter quam dicitur negativum, ut explicatum est. Sic ens creatum quatenus tale imperfectum negativè dicitur à prædicato essendi ab alio, quod habet, prout opposito prædicato longè perfectiori essendi à se. Similiter ens creatum quatenus contingens imperfectum negativè dicitur à prædicato contingentis, quod habet, prout opposito prædicato longè perfectiori necessitatis in existendo. Ens itidem corporeum à prædicato corporei prout opposito prædicato spiritualis. Pariterque in similibus. Itaque prædicatum minus perfectum ab oppositione, quam habet cum prædicato magis perfecto, denominatur imperfectum, siue imperfectio: quæ denominatio ipsi semixtrinfeca est; sicut & denominatio oppositi prædicato perfectiori. Quocirca perfectio intrinseca prædicati minus perfecti ab imperfectione semixtrinfeca sibi euadit imperfecta, seu mixta cum imperfectione, seu secum ferens imperfectionem; positivam quidem reipsa; tamen à negatione, suppositivà, sub qua à nobis concipi solet, veniat dicenda negativa.

40 Hinc apparet primò; imperfectiorem istam non dici essentialem, quòd cum essentia rei sit idem; sed quòd, suppositis extremis, denominatio semixtrinfeca, in qua consistit, & rei sit necessaria, & ipsius essentiam in se includat.

41 Secundo apparet; ad eiusmodi imperfectiorem fat esse, quòd bonitas, seu perfectio exclusa per se præcisè considerata (quo pacto rei imperfectæ nec debita est, nec indebita) maior sit excludente; quidquid sit de identitate chymicâ eius cum ipsâ re.

42 Iam verò imperfectum negativum integraliter, aut accidentaliter per veram, & ratam negationem perfectionis, seu bonitatis sibi non debita constituitur in esse talis; per negationem scilicet aut eius complementi, aut eius accidentis sibi non debiti, à quo, si haberet illud, perfectius, seu melius in se euaderet aut integraliter, aut accidentaliter, quam est sub negatione ipsâ. Sic homo amicus Dei in primo gradu per vnum, quem habet, gradum gratiæ in ratione amici Dei imperfectus est negativè quasi integraliter à verâ negatione, quam habet plurimum graduum gratiæ, maiorisque subinde amicitia Dei. Et homo ornatus aliquo supernaturali dono in ratione supernaturaliter ornati imperfectus est negativè accidentaliter à negatione verâ plurimum donorum supernaturalium ei possibilem. Pariterque in similibus.

43 Ex his denique quartò adnotandum venit; imperfectiorem regram seu positivam, seu negativam tum essentialem, tum integram, tum accidentalem considerari posse. Et positivam quidem essentialem impossibilem esse; etsi integralis, & accidentalis sit possibilis, ut apparebit ex dicendis. Negativam vero essentialem in prædicato rei, cui convenit, positivum, oppositumque maiori perfectioni prout illi opposito consistere; qualia sunt in creaturâ prædicatum essendi ab alio oppositum maiori perfectioni etendi à se, & prædicatum contingentis, seu potentis denecere oppositum maiori perfectioni necessitatis in existendo, & cetera huiusmodi. Negativam vero integram, & accidentalem in verâ, & ratâ negatione eius complementi, aut eius accidentis consistere, per quod, si ad esset, magis perfectum, seu magis bonum aut integraliter, aut accidentaliter euaderet subiectum eius. Quales sunt in amico

Dei negatio maioris amicitia, & in ornato supernaturaliter negatio aliorum ornamentorum, & in alijs similia.

Sed dicit aliquis. Quoties duæ perfectiones 44
essenciales, & inter se inæquales opposita sunt, non solum quælibet earum excludit alteram, sed insuper quælibet excludit tertiam ex utraq; compositam, utraûsque subinde maiorem; siquidem omne compositum quavis sua parte maius est. Igitur quælibet est imperfecta, seu mixta imperfectione, utpote excludens perfectionem maiorem. Non igitur sola minor perfectio maiori opposita fert secum imperfectiorem, prout statuimus. Respondeo, tertium compositum (nimirum per identitatem) ex duabus perfectionibus oppositis eo ipso esse impossibile, ex genereque eorum impossibilem, quæ nullam in se quidditatem, nullamque subinde bonitatem, aut perfectionem habent iuxta doctrinam tradendam infra q. 9. Unde manifestè consequitur perfectiones oppositas ab exclusionem compositi per identitatem ex se ipsis nullam imperfectiorem fortiri, utpote quæ non est exclusio perfectionis, nedum maioris; solamque proinde perfectionem minorem suâ opposita ab oppositione cum illâ imperfectam euadere: quia ut sic exclusiva est alicuius, quod in se absolutè consideratum & quid possibile, & quid reuerà magis perfectum, seu maior perfectio, quam ipsa est. Unde præterea inferatur; quoties duæ perfectiones opposita inter se æquales sunt, neutram ab oppositione cum altera fortiri imperfectiorem: quia neutra ut opposita alteri maioris perfectionis est exclusiva. Qualis omnis imperfectio esse debet, ut in imperfectiorem integralibus, & accidentalibus cerne re est; quæ cum in veris negationibus perfectionum positivam consistant, semper excludunt perfectiones maiores, imo plusquam maiores suâ, quæ nulla est utique; quidquid sit de negationibus veris malorum, quæ quodammodò sunt perfectiorem iuxta dicenda infra q. 9.

QVAESTIO V.

Quid sit debitum, quo rebus aliqua deberi dicuntur. Et quid oppositum indebitum. Quotuplex. Et quale.

45 Quoniam multa bona rebus, quibus sunt bona, sunt aliqua ratione debita; & omnia mala aliquo modo sunt indebita rebus, quibus sunt mala; magni interest impræsentiarum explicare, quid sibi velint hæc vocabula; quamquam subinde; & quotuplicia; & qualia sint eorum significata. Quod ut præstem, statuo, quæ sequuntur.

46 Primum. Quemadmodum in qualibet benè constitutâ republicâ ius habet morale unusquisque civium ad faciendâ aliqua, aut possidendâ consentaneè ad suum statum, & conditionem. Unde nascitur in Principe, siue Governatore reipublicæ debitum quoddam morale servandâ illa talia iura. Ita in ordinatissimâ istâ Mundi universitate vnumquodque entium, quæ in illa existunt, ius naturale habet ad aliqua præstandâ, vel possidendâ consentaneè ad suam naturam, siue essentialiam, & conditionem. Unde in Deo Opifice

Mundi, & Governatore debitum quoddam naturale resultat seruandi illa talia iura. Et, sicut iura moralia ciuium non semper eis competunt absolute, sed saepe respectiue ad alios ciues; proinde saepe exoriuntur lites, & exigentibus duobus, aut pluribus rem eandem, Princeps illi eam adiudicat, qui pensatis omnibus praestantius ius habere censetur, quantumuis alij molestiae, aut etiam violentiae patiantur. Ita in vniuersitate rerum iura non absoluta, sed respectiua sunt: atque ita, cum duae, vel plures res oppositis exigentijs decertant, ei, quae pensatis omnibus praestantius ius habet, conferri debet, quod exposcit, contra exigentiam ceterarum, aut etiam cum earum violentia, vt, quando causae contrariae congre-diuntur, cernere licet. V. g. dum aqua, & ignis coniunguntur localiter, oppositis exigentijs decertant, aqua quidem pro conseruando toto suo frigore cum omnimoda carentia caloris oppositi, ignis vero pro introducendo in aqua toto calore, quem ex se producere potest, corrupto toto aquae opposito frigore; praevalet tamen ius ignis utpote praestantioris, atque validioris agentis ad producendum saltem paulatim, cum certaque, partium successuarum proportione calorem in aqua, ad corrumpendumque subinde aquae frigus oppositum; quantumuis aqua contraria exigentia, atque connatu reluctetur, violentiamque proinde patiatur. Hinc ego duplicem exigentiam naturalem in rebus vniuersi soleo distinguere. Alteram iuridicam, contra quam citra miraculum fieri nequit. Alteram non iuridicam, contra quam sapissimè fit: quia iuribus aliam rerum, quae praevalet, ita debetur. Quare id solum vnicuique rei est absolute debitum, quod suppositis omnibus circumstantiis, & iuribus contrariis, iuridicè exigit. Ad praesens tamen propositum id omne vnicuique rei dicendum est debitum, quod iuxta connaturalem ipsius exigentiam ei iuxta praesens, & omni extrinsecam, oppositaque exigentia sublata, debitum esset; v. g. totum illud frigus dicendum est esse debitum aquae, quod iuxta connaturalem ipsius exigentiam ei esset debitum, si existeret prorsus remota ab omni causa caloris oppositi, prorsusque immunitis ab omni cuiusvis alterius entis contraria exigentia. Pariterque de ceteris omnibus rebus, quod attinet ad praesens propositum, deinceps nobis loquendum est.

47 Hoc posito, ad tria capita reduco omnes connaturales exigentias, omniaque iura, & omnia debita naturalia vniuersae naturae iuxta tria, quae res vniuersi naturaliter exigunt. Ea autem sunt, quibus intra limites status sibi naturalis (hoc est consentanei, ac proportionati suae naturae, siue essentiae) aut perficiuntur in ordine ad esse; aut instruuntur in actu primo in ordine ad operari; aut adiuvantur in actu secundo in ipsa operatione. Ad primum caput pertinent, quae vnicuique rei sunt congenita aut à principio, aut pro certa aetate tanquam passiones inseparabiles eius; atque etiam, quae obveniunt connaturaliter ipsi tanquam accidentia separabilia aut à principio similiter, aut successu temporis. Ex quibus multa pertinent item ad caput secundum, utpote quae rem perficiunt tam in ordine ad operari, quam in ordine ad esse. Praeter quae ad caput secundum pertinent, quae solum in ordine ad operari rem videntur instruere, vt approximationes ad agendum, excitationes specierum ad cognoscendum, propositiones obiectorum ad

appetendum, & similia. Ad tertium denique, caput pertinet ipsa operatio cum concursu Dei comitanti.

48 Porro quemadmodum in humanà republica ad hoc, vt aliquid alicui ciuium morali iure debitum sit, duo sunt requisita, & quod sit ei proportionatum, & quod extet praeterea titulus, in quo fundetur tale ius: defectu enim proportionis neque honor debitus Praetori potest fabro debitus esse; neque munia fabro debita debita possunt esse Praetori: defectu autem tituli multa sunt ciuibus non debita, quae aliàs satis superque illis proportionata erant. Ita pariter, vt aliquid naturali iure alicui rei vniuersi debitum sit, duo requisita sunt; & quod sit ei proportionatum; & quod vice tituli aliquod necessitudinis, seu specialis habitudinis vinculum intercedat; quale est, quod cernitur inter causam, & effectus, inter essentiam, & passiones, & similia. Defectu huius quasi tituli lux non est debita aeri; cui tamen satis proportionata est. Defectu autem proportionis cognitio non est debita plantae, cui impropor-tionata est per excessum; nec passio corporis rei spirituali, cui impropor-tionata est per defectum. Proportio enim aut per excessum, aut per defectum deesse potest, vt est notum. Quae cum ita sint, planè consequitur, varijs ex causis nasci posse, vt aliquid alicui rei non sit debitum, atque ita neque connaturale. Primò ex defectu solius tituli; quo casu illud tali rei praeternaturale venit dicendum. Secundo ex impropor-tione per defectum; quo casu infirmitate iure vocabitur. Tertio ex impropor-tione per excessum; quo casu supernaturale cum proprietate dicitur: & huius generis comparatione naturae sunt dona gratiae, quae supernaturalia nouimus. Quae autem ad defectu tituli, aut defectu proportionis non sunt debita alicui rei, ab eà connaturaliter exigi dicenda non sunt. Quia exigentia, & appetitus innatus rerum ad ea tantum, quae sibi sunt connaturalia, atque adeo ex vi proprii iuris connaturaliter possibilis, censentur terminari iuxta ea, quae dicemus infra disp. 18. q. 9. Porro inter fundamenta, quibus nituntur huiusmodi iura, ac debita connaturalia rerum, potissimum est existentia earum: nam res non existens, dum non existit, ad nihil habet ius; reique subinde non-existenti nihil debetur. Vnde, vt intelligatur res aliqua ad aliquid tanquam sibi debitum ius habere, existens debet praesupponi. Et haec satis sunt modò dicta de exigentia iure, & debito connaturali rerum. De quibus plura venient dicenda disp. 18. citata q. 2.

49 Praeterea verò aliud genus exigentiae, iuris, & debiti essentialis, tameti minus proprie dicti, in rebus considerandum est. Quoties enim vnum cum altero est essentialiter connexum, non incongruè dici potest, & solet, illud exigere essentialiter; atque adeo & habere ius essentialiter ad illud tanquam ad quid essentialiter sibi debitum. Idque siue ab illo distinguatur realiter, vt saepe contingit, siue per rationem nostram dumtaxat, vt plerunque fit. Hoc pacto essentia quavis metaphysica ius essentialiter habere dicitur ad suas passiones vt sibi essentialiter debitas; quantumuis haec sint cum illa identificatae realiter. Saepe etiam essentia physica ad aliquas passiones suas realiter à se distinctas tanquam sibi debitas essentialiter ius essentialiter habet: eo quod cum illis essentialiter, seu metaphysicè connexa est. Et vniuersim, quoties quilibet cum quolibet siue dis-

fincto, siue indistincto à se realiter essentialiter, seu metaphysicè connexum est, toties habere ius essentialitè ad illud tanquam ad essentialitè sibi debitum dicendum est.

50 Denique; sicut in republicà humanà ius habet morale Princeps gubernans eam, vt sibi pareatur; cui iuri correspondet in subditis morale debitum ei parendi. Insuperque vnusquisque civium penes propriam qualitatem, & conditionem sibi ipsi debet ita se gerere, vt se seruet immunem ab omni dissonantià, seu fœditate, seu turpitudine ipsimet fœdante, seu deturpante. Ita in vniuersitate terum Deus omnium Creator, & Gubernator ius habet morale, vt sibi ab omnibus creaturis rationalibus pareatur in ijs, quæ illis præcipit aut per legem naturalem, (quæ pars quadam est legis æternæ prout explico suo loco), aut per legem positivam siue diuinam, siue humanam. Cui iuri in creaturis rationalibus correspondet obligatio, atque adeò debitum morale obediendi, & nullam legem transgrediendi. Insuper vnaquæque creatura rationalis quatenus talis sibi ipsi debet debito quodam etiam morali, prorsus immunem se seruare ab omni fœditate, ac turpitudine culpæ, siue peccati à sua libertate oriundà, & sese fœdante, atque deturpante moraliter.

51 Ex quibus inferitur primò; iura rerum, & debita illis correspondentia ad tria capita siue genera reuocari; nimirum ad essentialia, seu metaphysica; ad connaturalia, siue physica; & ad moralia. Ad secundum autem genus reducuntur iura, & debita rerum artificialium quatenus talium. Nam quemadmodum res naturalis multa iure exigit tanquam sibi debita vel in ordine ad suum esse, vel in ordine ad suum operari connaturale; ita quoque res artificialis multa iure exigit tanquam sibi debita vel in ordine ad suum esse, vel in ordine ad suum operari artificiale, inspecto siue ad quem ab arte facta est. Itaque, quidquid vnicuique rei debitum est, vel essentialitè, vel connaturalitè, vel moralitè debitum est.

52 Secundo inferitur; debitum passivum, de quo agimus, quo alicui rei debetur aliquid (actiuum quippe debitum est, quo aliqua res aliquid debet) siue iure sibi correspondente stare non posse; quia sunt correlatiua inuicem inseparabilia, vt constat ex dictis. Vtrumque autem necessariò supponit existentiam, & appetitum saltem innatum ad id, quod debetur. Defectus quippe omnium existentia, omnisque appetitus ad aliud veluti cessio quadam, atque adeò veluti extinctio, siue defectus iuris ad illud est. Vnde nequit vlla res ius ad aliud vt sibi debitum habere, nisi illud sit tale, ad quod etiam habet existentiam, & appetitum saltem innatum.

53 Iam verò id venit dicendum indebitum vnicuique rei, cuius contradictorium illi debitum est: nam quoties quælibet res aliquid iure exigit tanquam sibi debitum, toties eius contradictorium tanquam sibi indebitum iure repudiat. Vnde indebitum strictè sumptum (vti deinceps à nobis semper sumetur) diuersum quid est à non debito. Indebitum enim id solum dicendum est, cuius contradictorium est debitum; cum tamen non debitum vniuersaliter dicatur, quidquid non debetur, quantumuis neque contradictorium eius debitum sit. Quemadmodum autem debitum, ita etiam indebitum aut metaphysicè, aut physicè, aut moralitè tale esse, siue considerari potest; vt satis ex se, & ex dictis compertum est.

Est tamen hic animaduertendum; quodlibet ex iuribus, & debitis, atque etiam indebitis explicatis, bifariam posse conuenire subiecto, siue enti composito, scilicet aut simpliciter, aut secundum quid; id quod & alijs prædicatis subiecto composito conuenientibus commune est. Conuenit prædicatum subiecto composito simpliciter, quando omnibus partibus eius aut distributiue, aut collectiue sumptis conuenit per se, adeò, vt ratione omnium illarum attribatur toti subiecto ab ipsarum omnium aggregato reipsa indistincto: secundum quid verò dicitur prædicatum subiecto composito conuenire, quando vni dumtaxat parti eius per se conuenit, & ratione talis partis dumtaxat tribuitur toti subiecto, ratione verò aliarum non item. Itaque, quando omnes partes alicuius subiecti seu distributiue sumptæ, seu collectiue per se habent ius aut metaphysicum, aut physicum, aut morale ad aliud quidpiam, hocque proinde illis omnibus per se debitum est, tunc tale subiectum dicitur simpliciter ius habere ad illud, & illud tali subiecto simpliciter debitum esse. Quando verò subiecti compositi vna pars tantum per se reuera habet ius ad aliquid, & hoc propterea illi soli per se debitum est, quod ius, & debitum nihilominus toti subiecto attribuitur ratione talis partis eius, aqua ipsum tanquam includens ab incluso realiter distinctum est, tunc certe eiusmodi ius, atque debitum tali subiecto secundum quid tantum conuenire dicendum est: quia illi secundum ipsum aliquid tantum, & non secundum totum ipsum conuenit. Similiter, quando vni dumtaxat parti totius per se est aliquid indebitum, aut oppositum, aut essentialitè, aut bonum, aut malum, &c. ipsi toti secundum quid tantum erit indebitum, aut oppositum, aut essentialitè, aut bonum, aut malum, &c. simpliciter tamen erit toti indebitum, aut oppositum, aut essentialitè, aut bonum, aut malum, &c. id quod omnibus partibus eius siue distributiue, siue collectiue acceptis per se tale fuerit. Quando verò subiectum nullas habet partes reipsa, sed simplex, siue indivisibile est, quodcumque prædicatum ex prædictis ipsi per se reipsa conuenit, simpliciter conuenit, vt est notum.

Igitur pro omnibus sequentibus quæstionibus id ex nunc vniuersaliter dictum, atque statum esto; quotiescumque nos absolutè, & sine distinctione quævis dictorum, aliorumque prædicatorum cum quibusuis subiectis etiam compositis, siue affirmando, siue negando, siue aliquo quouis modo comparauerimus deinceps, sermonem nostrum dumtaxat fore de prædicatis conuenientibus, aut non conuenientibus talibus subiectis simpliciter; non verò de conuenientibus, aut non conuenientibus tantum secundum quid; nisi hoc quandoque fortasse specialitè expresserimus.

QVÆSTIO VI.

*Quidnam sit perfectio simpliciter simplex.
Et qualiter ab ea, quæ talis non est,
discriminetur.*

Perfectio simpliciter simplex dicitur iam ab Scolaſtiscis communiter esse illa, *Quæ melior est*

est ipsa, quam non ipsa. Desumpta videlicet definitione ista ex doctrina data ab Anselmo in Monologio cap. 14. In qua particula *non ipsa*, non negatiue, sed inhinciter accipitur. Alioquin omnis perfectio esset simpliciter simplex: quandoquidem omnis est melior quam sua negatio. Sensus itaque est, tunc conceptum obiectiuum perfectionem simpliciter simplicem esse, quando ille melior est omni alio a se realiter distincto, & secum ipso in eodem ente realiter incompatibili.

57. Caterum, quia perfectio tum pro bono absoluto, tum pro bono relato usurpari solet, vt notauimus q. 2. scire opus est, eam impresentiarum promiscue pro vtrius solere usurpari ab Auctoribus agentibus de perfectione simpliciter simplici. Itaque, eorum communi consensu spectato, conceptus, qui in se absolute melior est quolibet alio secum in eodem ente realiter incompatibili, perfectio simpliciter simplex absoluta venit dicendus. Perfectio autem simpliciter simplex relata appellatur conceptus ille, qui enti prout enti tanquam subiecto melior est quolibet alio incompatibili secum realiter in eodem ente. Dico autem, spectata itidem Auctorum communi explicatione, *enti prout enti tanquam subiecto*: quia ad perfectionem simpliciter simplicem relata non satis est, eam enti, prout tale specificè est, tanquam subiecto meliorem esse qualibet alia realiter incompatibili secum in eodem ente. Lapidem enim e.g. quatenus lapidi melius est esse corporeum, quam esse spiritualem; (quæ duo in eodem ente realiter sunt incompatibilia): nam, vnicuique est melior sua essentia, quam quilibet aliud ipsi oppositum; de essentiaque lapidis vt lapidis est, esse corporeum, cui esse spiritualem opponitur. Et tamen corporeitas nequaquam est perfectio simpliciter simplex: cum talis sit spiritualitas, vt pote quæ enti prout enti melior est, quam corporeitas opposita. Similiter accidenti prout accidenti melius est, esse accidens, quod est sua essentia, quam, esse substantiam, quod est oppositum suæ essentia. Et tamen, esse accidens, non est perfectio simpliciter simplex: bene tamen esse substantiam; quod melius est enti prout enti, quam, esse accidens. Pariterque in similibus. Porro perfectio, quæ non est simpliciter simplex; quia non est melior quam non ipsa modo explicato; perfectio secundum quid solet communiter nuncupari.

58. His ita statutis ex communi sententia Auctorum, dissidium superest inter illos, an omnis perfectio nullam habens tecum admixtam imperfectionem eo ipso censenda sit perfectio simpliciter simplex; atque ita ex duntaxat tales non sint, quæ tecum admixtam aliquam imperfectionem habent. Affirmant cum Gabriele, Capreolo, & alijs Theodor. Smising. tract. 2. de Deo vno disp. 2. num. 35. Franc. Veken. disp. 3. de Deo cap. 1. & alij. Negant verò Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 10. Recupit. lib. 4. de Deo q. 5. & plures alij. Quibus ego subscribo. Quoniam, vt aliqua sit perfectio simpliciter simplex, necessario debet esse melior, siue melior omni alia sibi opposita, atque adeò secum in eodem ente realiter incompatibili iuxta definitionem statutam, & receptam ab omnibus. Sed potest aliqua perfectio nulli alteri ex sibi oppositis minor, & idcirco ab omni imperfectione immunis iuxta doctrinam statutam supra q. 4. sine, alicui ex sibi oppositis esse æqualis, & consequenter non omnibus sibi oppo-

fitis maior, vt satis ex se est notum. Igitur potest aliqua perfectio ab omni imperfectione immunis simpliciter simplex non esse. Non igitur omnis perfectio nullam habens tecum admixtam imperfectionem eo ipso perfectio est simpliciter simplex.

Ex quo patet, esse perfectionem immunem ab omni imperfectione latius patere, quam esse simpliciter simplicem; & consequenter duo hæc sicut superius, & inferius se habere. Cum certum sit, omnem simpliciter simplicem perfectionem necessariò eo ipso esse ab omni imperfectione immunem. Nam, cum sit illa necessariò omni alia sibi opposita maior, non potest esse aliqua sibi opposita minor: prout opus erat, vt fortiteretur imperfectionem, vt constat ex dictis. Vnde rursus apparet, nullam perfectionem habentem aliquam imperfectionem tecum admixtam simpliciter simplicem esse.

Ex dictis inferitur, non bene appellari perfectionem secundum quid omnem eam, quæ non est simpliciter simplex: vt summum enim dici potest talis, quæ imperfectionem admixtam habet; secus, quæ immunis est ab imperfectione; qualis est, quæ cuiuslibet sibi opposita saltem æqualis est. Quæ quidem perfectio simpliciter dici poterit. Atque ita distinctionis gratia ex tribus commemoratis perfectionibus primam, quæ maior est omni sibi opposita, & ab imperfectione immunis, perfectionem simpliciter simplicem cum communi appellabimus. Secundam, quæ etiam ab imperfectione est immunis, non tamen omnibus sibi oppositis maior est, sed aliquibus saltem æqualis, perfectionem simpliciter dicemus. Et tertiam, quæ aliquibus saltem ex sibi oppositis est minor, ob idque mixta imperfectione perfectionem secundum quid nuncupabimus.

Caterum, si combinatio adæquata pertinet ad propositum fiat, plures perfectionum species distinguende venient. Quarum prima erit omnibus sibi oppositis maior. Secunda omnibus sibi oppositis æqualis. Tertia omnibus sibi oppositis minor. Quarta aliquibus ex sibi oppositis maior, & aliquibus æqualis. Quinta aliquibus ex sibi oppositis maior, & aliquibus minor. Sexta aliquibus ex sibi oppositis æqualis & aliquibus minor. Septima aliquibus ex sibi oppositis maior, & aliquibus æqualis, & aliquibus minor. Quæ septem species sic sub tribus nominatis comprehenduntur, vt prima sola ad perfectionem simpliciter simplicem; secunda, & quarta ad perfectionem secundum quid pertineant. Ob penturiam tamen nominum, quando opus fuerit illas distinguere, perfectionem simpliciter simplicem primæ, aliam secundæ speciei dicemus.

Perfectionem autem secundum quid aliam primæ, aliam secundæ, aliam tertie, aliam quartæ speciei iuxta ordinem, quo sunt principio numerata omnes simul.

QVAESTIO VII.

Quanam propositiones evidentes, aut alias certa seu per se nota, seu demonstrata ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur comparati tum inter se, tum cum alijs aliarum disputationum & huius Operis, & Phari. Scientiarum.

62 **D**es elici quæ sequuntur.

Propositio 1.

63 **I**mpossibile est, ut idem secundum eandem rationem bonum simul, & malum sit.

Quoniam bonum, & malum secundum eandem rationem metaphysicè sunt opposita, aut contradictoriè, aut contrariè; atque adeò necessariò incompatibilia, ut in confesso est apud omnes. Clarissimè quippe repugnat, quòd idem secundum eandem rationem simul sit pulchrum, & foedum, amabileque subinde, & odibile, atque adeò bonum, & malum in se absolutè. Tum etiam, quòd idem comparatione eiusdem secundum eandem rationem simul sit conueniens, & disconueniens, atque adeò bonum, & malum respectiue, siue relatè.

Propositio 2.

64 **I**mpossibile est, ut idem secundum eandem rationem simul sit perfectum, & imperfectum.

Si enim perfectum, & imperfectum sumantur latè pro bono, & malo absoluto iuxta dicta q. 2. & 4. hæc propositio iam constat ex præcedente. Nec minùs est evidens, si perfectum, & imperfectum strictè iuxta ibidem dicta sumantur pro integro, & pro non integro quoad bonitatem debitam. Cum sit manifestum duo ista contradictoriè opponi.

Propositio 3.

65 **Q**uidquid alicui subiecto formaliter, & respectiue est aut bonum, aut malum, ipsum subiectum reddit in se absolutè aut bonum, aut malum. Et vicè versà. Quidquid aliquod subiectum reddit in se absolutè aut bonum, aut malum, ipsi subiecto formaliter, & respectiue est aut bonum, aut malum.

Hæc propositio satis superque nota manet per ea, quæ dicta iam sunt supra q. 1. n. 13. & q. 3. n. 32. Ex terminisque ipsis est satis evidens, non posse non subiectum euadere in se aut bonum, aut malum per id, quod formaliter, & perfecte ipsi est aut consentaneum, siue conueniens, atque adeò bonum, & perfectum; aut dissentaneum, siue disconueniens, atque adeò malum, & no-

ciuum. Nec posse non esse vicè versà subiecto aut conueniens, & bonum, aut disconueniens, & malum formaliter id, per quod ipsum in se redditur aut bonum, aut malum. Loquendo videlicet de subiectis creatis, quæ per bona, aut mala etiam à se distincta aut perfecti, aut vitari possunt. Quòd à subiecto increato est alienum, ut locis citatis notauimus. Cui proinde bona, vel mala extrinseca longè aliter talia sunt, quam creaturis, prout infra disp. 16. exponetur. Quò circa sicut in hac, ita & reliquis huius quæstionis, imò & sequentium propositionibus de solis subiectis creatis, deque eorum bonis, & malis nobis sermo erit, dum aliud non expresserimus.

Propositio 4.

66 **Q**uotiescunque alicui subiecto aliquid malum est, non potest non contradictorium eius ipsi subiecto & bonum, & debitum esse.

Bonum quidem: quia non potest non esse, vnicuique bonum carere quouis sibi malo, ut est notissimum. Debitum autem: quia quoduis ens ex innata quadam propensione, ac veluti ex innato quodam amore erga se ipsum iure censetur auerfari, refugere, & repudiare, quidquid sibi malum, atque adeò nociuum est; & consequenter iure similiter appetitu quodam innato appetere, exigereque carere illò, ut etiam ex se est notum. Hinc autem manifestè sequitur, naturæ cuiusvis subiecti non solum bonum, sed etiam debitum esse carere quouis malo, seu (quòd est idem) contradictorium cuiusvis mali: siquidem id, cuius naturæ censetur debitum, quod iure ab ipsa exigitur, prout pluribus est explicatum supra q. 5.

Propositio 5.

67 **Q**uoties alicui subiecto aliquid malum est, toties id eidem subiecto indebitum est.

Nam illud dicitur subiecto indebitum iuxta definitionem statutam q. 5. cuius contradictorium est debitum eidem subiecto. Sed quoties alicui subiecto aliquid malum est, eidem subiecto debitum est contradictorium eius, iuxta proposit. 4. Igitur, quoties alicui subiecto aliquid malum est, toties id eidem subiecto indebitum est.

Hinc patet, de ratione mali relati esse, quòd indebitum sit subiecto, cui malum, & nociuum est. Omneque subinde malum relatum subiecto, cui malum est, & nociuum, indebitum esse. Et quoniam indebitum, aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter tale esse, siue considerari potest iuxta dicta q. 5. consequens necessarium est, ut omne malum relatum subiecto, cui est malum, aliquo saltem ex hisce tribus modis indebitum sit.

Propositio 6.

69 **N**on omne bonum relatum subiecto, cui bonum est, est debitum. Sed aliqua debita sunt; aliqua verò minimè.

Est certissimum. Nam, ut constat ex dictis q. 5. dona supernaturalia, quæ naturæ tanquam sub-

subiecto, valde sunt bona, & perfectiva, ipsi natura non sunt debita. Tandemque est de accidentibus præternaturalibus respectu eorum, subiectorum, quibus tum præternaturalia, tum bona, & perfectiva sunt. Cum tamen cuius entis debita sint tum prædicata essentialia eius, tum partes, & accidentia ipsi connaturalia, quæ bona sunt ipsi tanquam subiecto.

70 Ex dictis in hac, & præcedentibus propositionibus duo inferuntur discrimina inter bonum, & malum relatum. Primum, quod omnia mala relata subiecto, cui sunt mala, debita sunt. Cum tamen e converso non omnia, sed aliqua tantum bona relata subiecto, cui sunt bona, sint debita. Secundum, quod contradictorium omnis mali relati, ipsius subiecto bonum est iuxta proposit. 4. Non verò omnis boni relati contradictorium est vice versa malum ipsius subiecto. Siquidem contradictorium boni non debiti, eo ipso non est indebitum iuxta definitionem indebiti statutam q. 5. & consequenter neque malum: cum de ratione mali sit esse indebitum iuxta proposit. 5.

Propositio 7.

71 Quotiescunque aliquid alicui subiecto debitum est, eidem subiecto bonum est.

Quia, ut constat ex doctrina statuta q. 5. n. 5. quotiescunque aliquid alicui subiecto debitum est, non potest non in ipso subiecto esse ad illud exigentia, & appetitus saltem insatus. Sed exigentia, & appetitus innatus non dantur nisi ad illud, quod appetenti, & exigenti est bonum; ut est novissimum. Ergo, quotiescunque aliquid alicui subiecto debitum est, eidem subiecto bonum est.

72 Sed contra hanc propositionem potest opponi. Peccatori ut tali est debita poena, quæ tamen non bonum eius, sed malum quoddam est. Ergo. Respondeo, peccatori esse debitam poenam non ex iure, quod ipse peccator habeat ad illam; sed ex iure quod eius superior habet ad ipsum, puniendum. Unde hoc debitum non est passivum, de quo in propositione est sermo, sed activum, de quo ipsa non agit. Quocirca, loquendo proprie, non tam est dicendum, poenam debere peccatori, quam peccatorem ipsum debere solvere, seu luere, seu sustinere, aut pati poenam. Quo integrè propositio nostra manet illæsa.

Propositio 8.

73 Quotiescunque alicui subiecto aliquid indebitum est, eidem subiecto malum est.

Ita sentiunt omnes reipsa; cum dicunt, malum esse subiecto carere bono sibi debito. Siquidem omne indebitum contradictorium est debiti iuxta definitionem statutam q. 5. & omne debitum est bonum iuxta proposit. 7. Quo fit, ut omne indebitum contradictorium sit boni debiti, eiusque subinde exclusio, siue carentia, atque adeo malum iuxta sententiam omnium. Ratio à priori. Quia nequit non esse disconueniens, seu dissentaneum, atque adeo malum subiectum, carere bono aliquo sibi debito, ut satis ex se notum est. Sed, quidquid est subiecto indebitum contradicto-

rium atque adeo exclusio, siue carentia est alicuius boni debiti ipsi subiecto iuxta dicta nuperimè. Igitur nequit non esse disconueniens, seu dissentaneum, atque adeo malum subiecto, quidquid subiecto ipsi indebitum est. Rursum, nequit non subiectum evadere quasi foedum, siue deformè, atque adeo malum in se absolute à defectu cuiuslibet boni debiti sibi, ut ex se constat. Sed quoduis indebitum subiecto defectus est alicuius boni debiti ipsi, utpote eius contradictorium, ut constat ex dictis. Ergo nequit non subiectum evadere malum in se absolute à quolibet indebito sibi. Ast quidquid reddit subiectum malum in se absolute, eidem est malum respectivè iuxta proposit. 3. Igitur quodlibet subiecto indebitum eidem est respectivè malum. Quod erat ostendendum.

Ex hac, & ex præcedentibus propositionibus inferitur, indebitum, & malum subiecto ad convertentiam dici. Nam, quidquid est subiecto malum, eidem est indebitum. Et, quidquid est subiecto indebitum, eidem est malum. Debitum verò, & bonum subiecto non itidem. Nam licet omne subiecto debitum sit ipsi bonum. Non tamen omne subiecto bonum est ipsi debitum: cum multa bona subiecto sint ipsi non debita.

Propositio 9.

74 Contradictorium cuiusvis boni subiecto debiti ipsi subiecto malum est.

Quia est ipsi indebitum iuxta definitionem indebiti statutam q. 5. Et omne subiecto indebitum ipsi subiecto malum est iuxta proposit. 8.

Propositio 10.

75 Idem comparatione eiusdem esse simul debitum, & indebitum, impossibile est.

Tum quia isti termini evidentissimè sunt oppositi. Tum quia contra proposit. 1. idem comparatione eiusdem esset simul bonum, & malum. Siquidem omne debitum bonum, & omne indebitum malum est iuxta proposit. 7.

Propositio 11.

76 Nulli subiecto potest debitum esse id, quod ipsi impossibile est.

Quia, ut in moralibus nemo ad impossibile tenetur iuxta vulgatum axioma; ita absolute nullum debitum activum, & consequenter nullum ius, nullumque debitum passivum ad impossibile dari potest. Nullum ergo ens potest habere ius ad id, quod est ipsi impossibile. Nullique enti subinde potest debitum esse id, quod ipsi impossibile est. Quæ omnia satis superque sunt evidentiæ ex se, si sermo sit, uti est in propositione, de iure, & debito ad existentiam eius, quod enti impossibile est.

In hac quippe, & in sequentibus propositionibus, quoties comparamus ad subiecta quævis extrema, siue possibilia, siue impossibilia, siue contingentia, siue necessaria tanquam debita, vel indebita, bona, vel mala, &c. semper est sermo de illis consideratis quoad existentiam, seu prout in statu existentiali. Vtrum enim illa considerata præcisè prout in statu quiditativo, & se-

cundum suam quidditatem possibilem, aut impossibilem aliquam bonitatem, vel malitiam aut absolutam, aut respectivam ad aliqua subiecta habeant: & eis sint prout sic aliquo modo debita, vel indebita, inferius q. 8. & 9. examinandum nobis est. Quod dictum, & statum hic pro omnibus sequentibus propositionibus esto.

79 non Ex præsentem autem inferitur primo, quidquid in se est impossibile, nulli enti debitum esse posse: quia, quidquid in se est impossibile, & omni enti tanquam subiecto est impossibile, ut constat. Secundo inferitur, duo quavis extrema contradictionis, nulli enti posse simul debita esse: quia, coniunctum ex duobus quibusque extremis contradictionis in se est impossibile, ut etiam constat.

Propositio 12.

80 Contradictorium eius, quod est impossibile alicui subiecto, indebitum ipsi subiecto esse non potest.

Quia id est subiecto indebitum iuxta definitionem statutam q. 5. cuius contradictorium est debitum eidem subiecto. Ergo quando unum ex duobus extremis contradictionis non potest esse subiecto debitum, alterum eidem subiecto indebitum esse non potest. At, quando unum est impossibile subiecto, non potest ipsi debitum esse iuxta proposit. 11. Ergo neque tunc potest alterum esse ipsi subiecto indebitum.

Propositio 13.

81 Quod est subiecto necessarium, ipsi subiecto indebitum esse non potest.

Quia, quando aliquid subiecto est necessarium, contradictorium illius est eidem subiecto impossibile, ut constat ex se, & ex demonstratis in Pharo Scient. disp. 11. q. 5. At contradictorium eius, quod est subiecto impossibile, indebitum ipsi subiecto esse non potest iuxta proposit. 12. Ergo quod est subiecto necessarium, ipsi subiecto indebitum esse non potest. Hic tamen advertendum est, sermonem in istis propositionibus duntaxat esse de impossibilitate, necessitateque metaphysicâ, eaque prorsus absoluta ab omni aliâ suppositione, præterquam à suppositione existentie subiecti, cui ut existenti aliquid omnino impossibile, atque adeo non debitum, vel omnino necessarium, & ideo non indebitum est.

Propositio. 14.

82 Quidquid alicui subiecto necessarium est, id ipsi malum esse non potest.

Quia nec potest esse subiecto indebitum id, quod est subiecto necessarium iuxta proposit. 13. Nec potest esse subiecto malum id, quod non potest esse ipsi indebitum. Siquidem de ratione mali relati est, indebitum esse subiecto, cui malum est, iuxta proposit. 5.

Propositio 15.

83 Quidquid alicui subiecto impossibile

est, id ipsi malum esse non potest.

Quia nequit quidpiam per suam existentiam esse disconueniens alicui subiecto, quando illius existentia tali subiecto est impossibilis, ut ex se est manifestum. Esse autem quidpiam disconueniens subiecto, & ipsi esse malum idem est iuxta definitionem statutam q. 3. Tum esse quidpiam impossibile subiecto, & esse ipsi impossibilem illius existentiam, idem etiam est, ut ex se constat.

Propositio 16.

84 Quidquid alicui subiecto malum est, eo ipso ipsi subiecto contingens est.

Quia nequit esse tali subiecto aut necessarium, aut impossibile, iuxta proposit. 14. & 15. Et nequit non esse subiecto contingens id, quod ipsi nec necessarium, nec impossibile potest esse, ut constat ex se, & ex proposit. 11. demonstratâ in Pharo Scient. disp. 8. q. 4.

Propositio 17.

85 Quidquid alicui subiecto impossibile est, id ipsi bonum esse non potest.

Quia non potest quidpiam per suam existentiam esse conueniens, atque adeo bonum alicui subiecto, quando illius existentia tali subiecto est impossibilis, ut est in casu propositionis, iuxta dicta in simili proposit. 15.

Propositio 18.

86 Quidquid alicui subiecto bonum est, aut necessarium, aut contingens tali subiecto est.

Quia non potest esse illi impossibile iuxta proposit. 17. Et quidquid alicui subiecto non est impossibile, consequenter debet illi esse aut necessarium, aut contingens, ut patet ex se, & ex proposit. 11. Phari citatâ nuper proposit. 16.

Propositio 19.

87 Vtrumque extremum cuiusvis contradictionis eidem subiecto esse indebitum, impossibile est.

Quia, quando unum est indebitum, alterum est necessariò debitum iuxta definitionem indebiti statutam q. 5. Et hoc non potest esse simul debitum, & indebitum iuxta proposit. 10.

Propositio 20.

88 Vtrumque extremum cuiusvis contradictionis eidem subiecto esse malum, impossibile est.

Tum quia vtrumque esset eidem subiecto indebitum contra proposit. 19. siquidem omne malum subiecto ipsi est indebitum iuxta proposit. 5. Tum quia, quando unum ex contradictorijs est malum subiecto, alterum est ei necessariò bonum

M M M iux-

iuxta proposit. 4. Et nequit hoc esse eadem simul bonum, & malum iuxta proposit. 1.

Propositio 21.

89 Verumque extremum cuiusvis contradictionis eidem subiecto esse debitum, impossibile est.

Quia, quando vnum est debitum, alterum necessitatio est indebitum iuxta definitionem indebiti statutam q. 5. Et hoc non potest esse simul indebitum, & debitum iuxta proposit. 10.

Propositio 22.

90 Verumque extremum cuiusvis contradictionis eidem subiecto esse bonum, impossibile est.

Non enim potest vtrumque esse bonum debitum. Tum quia, non potest vtrumque esse debitum iuxta proposit. 21. Tum quia, quando vnum est bonum debitum, alterum necessitatio est malum iuxta proposit. 9. Et nequit hoc esse simul bonum, & malum iuxta proposit. 1. Quia eadem demonstratione ostenditur in eadem, non posse esse vnum bonum debitum, & alterum bonum non debitum. Restatque solum ostendendum, quod neque possit vtrumque esse bonum non debitum.

91 Id quod, explicando terminos ipsos, videtur satis, superque ostendi. Eo enim ipso, quod alterum ex duobus contradictorijs est precisa carentia alterius, non videntur posse ambo simul esse eidem subiecto bona: quia ex terminis ipsis apparet, nulli esse bonum hoc precise, quod est, carere aliquo sibi bono. Hoc enim ipso, quod est alicui bonum, atque adeo conueniens habere aliquid, nequit haud dubie esse eidem bonum, conueniensque carere illo; ut nequit esse bonum, & conueniens alicui, quod auferatur ab eo aliquid, quod ipsi erat bonum, & conueniens. In precisa quippe ablatione, siue carentia eius, quod erat alicui conueniens, nulla est excogitabilis conuenientia, quae respectu eiusdem sit talis per se, & formaliter.

92 Dico per se, & formaliter, Quia in hac & in 20. propositione (sicut & in plerisque alijs huius questionis) duntaxat est sermo de bonis, & malis respectiuis; quae per se, & formaliter talia sunt comparatione subiecti, cui sunt bona, aut mala; non vero item de bonis, & malis respectiuis; quae causatiue tantum sunt talia; quatenus scilicet conducunt, ut alia existant, quae sint per se, & formaliter bona, aut mala. Isto enim genere bonitatis duntaxat causatiue bene possunt ambo contradictionis extrema esse simul eidem subiecto mala, vel bona: quia potest vnumquodque eorum seorsum ad aliquod malum, aut bonum, ipsi vtile esse. Sicut etiam vnum malum, aut bonum formaliter, & alterum malum, aut bonum causatiue bene esse possunt. Sic aegritudo corporis, & eius carentia bonae sunt homini: prima; quia utilis ad lucrum spirituale: secunda; quia ad temporale: rursusque secunda; quia per se, & formaliter ipsi homini conueniens est. Aliterque eadem mala sunt homini: prima ob amissionem bonorum temporalium: secunda ob amissionem spiritualium; quae secum ferunt: rursusque pri-

ma; quia per se, & formaliter est homini disconueniens. Cum tamen per se, & formaliter prima duntaxat sit mala; quia disconueniens; & secunda duntaxat bona; quia conueniens. Pariterque in similibus.

Itaque non solum de conceptu malitiae iuxta proposit. 4. sed etiam de conceptu bonitatis respectiuae, & formalis tum debite, tum etiam non debite esse videtur citra dubium, quod in amobus cuiusvis contradictionis extremis comparatione eiusdem subiecti simul reperiri non possunt. Vnde, quando alterum per se, & formaliter alicui subiecto fuerit bonum, alterum per se, & formaliter eidem subiecto bonum non erit: sed vel erit malum, si fuerit primum bonum debitum; vel erit adiaphoron, seu indifferens, si fuerit primum bonum non debitum.

Propositio 23.

93 Quidquid vnicuique subiecto essentialiter est, ipsi essentialiter debito debitum est.

Constat ex dictis q. 5. Nam id dicimus subiecto essentialiter, cum quo subiectum essentialiter est connexum. Hoc autem esse ipsi subiecto debito debito essentialiter, ex se, & ex ibi dictis n. 49. satis compertum est.

Propositio 24.

94 Esse alicui subiecto indebitum id, quod est ipsi essentialiter, impossibile est.

Quia nequit non esse debitum enti id, quod est ipsi essentialiter iuxta proposit. 23. Repugnatque, ut sit simul debitum, & indebitum iuxta proposit. 10.

Propositio 25.

95 Quidquid vnicuique subiecto est essentialiter, ipsi subiecto bonum est.

Quia est ipsi subiecto debitum iuxta proposit. 23. Et omne alicui subiecto debitum ipsi est bonum iuxta proposit. 7.

Ex hac propositione inferitur, vnumquodque sibi ipsi esse bonum. Quia nihil magis vnicuique essentialiter, quam idem ipsum sibi, ut constat.

Propositio 26.

96 Nulli subiecto potest esse malum id, quod est ipsi essentialiter.

Tum quia nulli subiecto potest id esse indebitum iuxta proposit. 24. Quale necessitatio est suo subiecto omne malum iuxta proposit. 5. Tum quia necessitatio est subiecto bonum id, quod est ipsi essentialiter iuxta proposit. 25. Et nequit esse simul bonum, & malum iuxta proposit. 1.

Ex hac propositione inferitur, nullum ens posse sibi ipsi esse malum. Siquidem nihil est magis vnicuique essentialiter, quam idem ipsum sibi, ut dictum est super.

Propositio 27.

100 Id, à quo redditur, euadit ve quoduis ens in se absolutè bonum, aut debitum, aut non debitum ipsi enti esse potest.

Quia debet esse ipsi enti respectiue bonum iuxta proposit. 3. Et bonum relatum subiecto, cui est respectiue bonum, aut debitum, aut non debitum esse potest iuxta proposit. 6.

Propositio 28.

101 Id, à quo redditur, euadit ve quoduis ens in se absolutè malum, necessariò debet esse indebitum ipsi enti.

Quia debet esse ipsi enti respectiue malum iuxta proposit. 3. Et quidquid alicui subiecto malum est respectiue, necessariò est ipsi subiecto indebitum iuxta proposit. 5.

Propositio 29.

102 Quoduis ens à quolibet sibi debito euadit in se absolutè bonum.

Quia euadit in se absolutè bonum à quolibet sibi bono iuxta proposit. 3. Et quodlibet sibi debitum est sibi bonum iuxta proposit. 7.

Propositio 30.

103 Quoduis ens à quolibet sibi indebito euadit in se absolutè malum.

Quia euadit in se absolutè malum à quolibet sibi malo iuxta proposit. 3. Et quodlibet sibi indebitum est sibi malum iuxta proposit. 8.

Propositio 31.

104 Impossibile est, quòd aliquod ens euadat in se absolutè malum ab aliquo sibi necessariò.

Quia non potest ens euadere in se absolutè malum, nisi ab aliquo sibi respectiue malo iuxta proposit. 3. Et nequit esse enti respectiue malum id, quod est ipsi necessarium iuxta proposit. 14. Tum; quia necesse est, esse enti indebitum illud, à quo ens euadit in se absolutè malum iuxta proposit. 28. Quale esse non potest illud, quod enti est necessarium iuxta proposit. 13.

Propositio 32.

105 Impossibile est, quòd aliquod ens euadat in se absolutè malum ab aliquo sibi impossibili.

Quia non potest ens euadere in se absolutè malum, nisi ab aliquo sibi respectiue malo iuxta proposit. 3. Et nequit esse enti respectiue malum, quod est ipsi impossibile iuxta proposit. 15.

Propositio 33.

106 Non potest vllum ens euadere in se absolutè malum, nisi ab aliquo sibi contingente.

Quia non potest euadere in se absolutè malum, nisi ab aliquo sibi respectiue malo, iuxta proposit. 3. Et quidquid est ei respectiue malum, eo ipso est ipsi contingens iuxta proposit. 16.

Propositio 34.

107 Non potest vllum ens euadere in se absolutè bonum ab aliquo sibi impossibili.

Quia non potest euadere in se absolutè bonum, nisi ab aliquo sibi respectiue bono iuxta proposit. 3. Et nequit esse ei respectiue bonum, quod est ipsi impossibile iuxta proposit. 17.

Propositio 35.

108 Non potest vllum ens euadere in se absolutè bonum, nisi ab aliquo sibi aut necessariò, aut contingente.

Quia non potest euadere in se absolutè bonum, nisi ab aliquo sibi respectiue bono iuxta proposit. 3. Et quidquid est ei respectiue bonum, eo ipso est ipsi aut necessarium, aut contingens iuxta proposit. 18.

Propositio 36.

109 Impossibile est, vt aliquod ens ab aliquo sibi essentiali euadat in se absolutè malum.

Quia non potest ens euadere in se absolutè malum, nisi ab aliquo sibi respectiue malo iuxta proposit. 3. Et nequit esse enti respectiue malum id, quod est ipsi essentiali iuxta proposit. 26. Tum quia necesse est, esse enti indebitum illud, à quo ens euadit in se absolutè malum iuxta proposit. 28. Quale esse non potest illud, quod enti est essentiali iuxta proposit. 24.

Per hanc propositionem demonstratum manet contra Manichæos, & Asectas, esse impossibile, vt aliquod ens per suam essentiam, siue ab essentia sua habeat, esse absolutè malum in se. Siquidem nihil est cuiuslibet enti magis essentiali, quam ipsa essentia eiusdem, vt est manifestum.

Propositio 37.

111 Necesse est, vt vnumquodque ens bonum in se absolutè euadat per id, quod sibi est essentiali formaliter.

Quia quod est vnicuique essentiali, ipsi bonum est respectiue iuxta proposit. 25. & quidem formaliter etiam, quando est essentiali formaliter, vt ex se est manifestum. Necesse autem est, vt ab omni eo, quod sibi est bonum formaliter, & respectiue, euadat vnumquodque ens bonum in se absolutè iuxta proposit. 3.

Ex hac propositione constat, necessarium esse, vt quoduis ens per suam essentiam, siue ab
M M M 2 essen.

essentiã suã bonum absolute in se sit. Atque ita non solum non possit esse malum; sed neque possit esse indifferens, sine adiaforon. Quandoquidem nihil magis essenziale formaliter est unicuique enti, quã ipsa essentia eiusdem, ut notum est.

Propositio 38.

113 Quidquid de malitiã, & de malo in præcedentibus propositionibus dictum est, eodem pacto de imperfectione positivã, & de imperfecto positivè venit intelligendum.

Quia iuxta definitiones statutas q. 4. imperfectionis positivã, & imperfectum positivè à malitiã, & malo non differunt.

114 Quæcumque autem hæcenus in præcedentibus propositionibus demonstrata sunt de bono, & malo, de debito, & indebito, &c. eisi potissimum conveniant eis bonis, & malis, debitis, & indebitis, &c. quæ simpliciter talia sunt iuxta notationem, atque divisionem eorum factam supra q. 5. sine; suo tamen proportionali modo illis etiam conveniant, quæ talia sunt tantum secundum quid; illisque proinde etiam sunt applicanda. Quod facile ab unoquoque præstari poterit.

Propositio 39.

115 Nulla perfectio simpliciter simplex cum aliã perfectione simpliciter simplici est incompatibilis in eodem ente.

Quia, cum perfectio simpliciter simplex omni aliã secum incompatibilis in eodem ente maior sit iuxta definitionem statutam q. 6. si duæ quæque perfectiones simpliciter simplices comparate inter se essent incompatibiles in eodem ente, prima esset maior secundã, & secundã vicissim maior primã. Quod manifestè est impossibile iuxta doctrinam univesalem de æqualibus, & inæqualibus traditam in Pharo Scient. disp. 16. q. 3.

116 Ex hac propositione immediatè inferunt docti Recentiores, ut vidimus disp. 1. q. 7. n. 155. omnes omnino perfectiones simpliciter simplices excoꝛditabiles in eodem omnino ente simul compatibiles esse. Male tamen. Quia, cum fieri possit, ut sit oppositum aggregato id, quod nulli ex partibus eius seorsim sumpta oppositum est, iuxta doctrinam demonstratam in Pharo Scient. disp. 4. q. 4. proposit. 27. ex eo, quod quavis perfectio simpliciter simplex nulli aliarum opposita sit, cum qualibetque subinde compati possit in eodem ente, non bene inferatur, illam non esse oppositam ulli aggregato aliarum, sicque compatibilem esse in eodem ente cum omnibus alijs simul sumptis. Verum autem hoc ultimum bene aliter, aut aliunde inferatur, ex dicendis postmodum constabit.

Propositio 40.

117 Perfectiones simpliciter simplices ex suis conceptibus vel æquales inter se, vel inæquales esse possunt.

Est certissimum. Quia singulas esse maiores omnibus suis oppositis, ut esse debent, non ob-

stat, quominus sint inter se vel æquales, vel inæquales. Id quod veluti experimentaliter constat in earum plerisque; conceptus siquidem entis, viventis, intellectui, omnipotentis, æterni, infiniti, &c. manifestè sunt inter se perfectione inæquales; cum tamen manifestè etiam omnes perfectiones sint simpliciter simplices. Potentie verò effectivæ æqualium effectuum æquales perfectione sunt ex suis conceptibus præcis: sicut & potentie intellectivæ æqualium obiectorum præcis sumptæ; alijsque eiusmodi conceptus. Qui manifestè etiam sunt perfectiones simpliciter simplices.

Ex hac propositione inferitur, posse unam perfectionem simpliciter simplicem excedere perfectionem aggregati plurium aliarum; tametsi cuiusvis aggregati perfectio maior sit perfectione singularium partium sui. Quia potest una plurium aliarum sic superare perfectionem, ut etiam superet perfectionem aggregati resultantis ex illis. V.g. solus conceptus omnipotentis multum, imò infinite excedit in perfectione aggregatum, coalescens ex conceptibus entis, substantialis, viventis, intellectui, & volitui. Cum ille proprius Dei sit, quamdamque perfectionis infinitudinem secum ferat: hoc verò totum aggregatum in creaturã non sic infinitã possit existerè.

Propositio 41.

118 Compositum ex pluribus perfectionibus in eodem ente compatibilibus, & nullam secum ferentibus imperfectionem maior perfectio est, quã singula earum.

Quia in tali composito ad suas partes comparato evidenter habet locum illud certum principium, *Totum est maius sua parte.* Quidquid sit de aggregato ex pluribus perfectionibus vel incompatibilibus inter se, vel mixtis cum imperfectionibus. De quo ad rem alibi.

Ex hac propositione inferitur, compositum ex pluribus perfectionibus simpliciter simplicibus, aut ex pluribus perfectionibus simpliciter in eodem ente compatibilibus maiorem perfectionem esse, quã singula earum; quia utraque ex conceptibus suis ab imperfectionibus sunt immunes, ut ex earum definitionibus statuumus q. 6.

Propositio 42.

119 Impossibile est, ut aggregatum ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus compositum non sit itidem perfectio simpliciter simplex.

Contradictorium potius videtur verum. Nam si aggregato composito ex solis duabus perfectionibus simpliciter simplicibus A B opposita sit perfectio simpliciter simplex A, ut fieri potest iuxta dicta proposit. 39. ipsumque integrum aggregatum minor perfectio sit, aut saltem non maior perfectione A, ut etiam fieri potest iuxta dicta proposit. 40. ipsummet utique aggregatum ex solis duabus perfectionibus simpliciter simplicibus compositum, uti supponitur, non erit perfectio simpliciter simplex: quia non erit perfectio maior omni sibi opposita: quandoquidem perfectione A opposita sibi maior non erit.

Nilominus propositio data est demonstranda. Pro quo suppono ut prius certum quo-

quælibetque quoduis extremum nulli ex partibus cuius aggregati oppositum ipsi aggregato oppositum est, quamlibet partem talis aggregati necessariò esse oppositam aggregato coalescenti ex residuo, & ex dicto extremo. Itaque si A est oppositum aggregato ex B C, cum non sit oppositum ipsi B, aut C, sumptis seorsim, necesse est ut B oppositum sit aggregato A C, & C aggregato A B. Si enim B non esset oppositum aggregato A C, simul cum illo posset esse: atque ita simul esse posset B A C. Quo fieret, ut A non esset oppositum aggregato B C contra suppositionem. Tantumdemque est de alijs casibus, de cæterisque similibus cuiuslibet omnino aggregati ex quavis multitudine partium aut finitæ, aut etiam infinitæ compositi. Quippe in omnibus locum habet demonstratio facta, ut est notissimum.

123 Hoc posito demonstro propositionem ab absurdo. Quoniam, ut aliquod aggregatum ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus compositum, v.g. illud B C, non esset perfectio simpliciter simplex, necessaria erant omnino duo. Primum, quòd illud oppositam sibi haberet aliquam perfectionem non minorem, sed aut maiorem se, aut sibi æqualem, v.g. A. Secundum, quòd tali perfectioni A nulla pars eius esset opposita. Quòd primum erat necessarium, est clarum. Quia, si dictum aggregatum nullam perfectionem sibi oppositam haberet se non minorem, omni perfectione sibi opposita esset illud maius; perfectioque subinde simpliciter simplex illud esset iuxta definitionem. Quòd autem etiam secundum necessarium erat, non minus clarum est. Quia, si aliqua pars dicti aggregati puta B tali perfectioni A opposita esset, quandoquidem B non potest non esse minor perfectio quàm est totum aggregatum B C iuxta proposit. 41. B utique non posset non habere sibi oppositam perfectionem A non minorem se, sed maiorem, (siquidem nequit non esse maius minore, quod est maius, vel æquale maiori, ut constat): fieretque proinde, uti B & esset perfectio simpliciter simplex, uti in casu supponitur; & simul non esset: quia non omni sibi opposita maior esset. Quod est chymericum. Stat itaque demonstratum hæcenus, necessarium omnino esse adhuc, ut aggregatum B C, ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus compositum, non sit perfectio simpliciter simplex, tum quòd sic illud oppositum perfectioni A se non minori, tum quòd eius partes B C seorsim ipsi A opposita non fiat. Pergo. Sed est impossibile, quòd aggregatum B C ex vna parte sit compositum ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus, uti supponitur; ex aliâ verò sit oppositum perfectioni A non minori se, cui partes eius non sint opposita sumpta seorsim. Ergo est impossibile, quòd aggregatum B C, ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus compositum, non sit perfectio simpliciter simplex. Maior demonstrata supponitur. Et consequentia planè est legitima. Minor autem sic demonstratur. Eo ipso, quòd aggregatum B C oppositum sit perfectioni A, cui B, & C seorsim non sint opposita, non potest non perfectio B esse opposita aggregato A C iuxta suppositionem factam n. 122. Cumque aggregatum A C, utpote coalescens ex perfectionibus non oppositis, atque adeò compatibilibus in eodem ente nequeat non esse perfectio maior, quàm A, iuxta proposit. 41. Et A, utpote perfectio non minor perfectione

B C, sit maior perfectione B iuxta dicta; conficitur B perfectionem esse longè minorem perfectione A C sibi opposita: proindeque B neutiquam esse perfectionem simpliciter simplicem; qualis supponitur esse in casu; qui proinde est implicatorius. Repugnat igitur, quòd aggregatum B C ex ipsis B, & C tanquam ex perfectionibus simpliciter simplicibus sit compositum, & simul habeat perfectionem A non minorem se oppositam sibi, & non suis partibus sumptis seorsim, prout necessarium erat adhuc, ut illud nihilominus perfectio simpliciter simplex non esset. Unde consequenter est impossibile, ut aggregatum B C, & quodlibet aliud huiusmodi ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus compositum sit, & ipsum non sit itidem perfectio simpliciter simplex. Quòd erat demonstrandum. Ex quibus etiam iam apparet, casum, quo n. 121. videbatur probari oppositum, omnino impossibilem esse.

Est autem sermo tam in propositione, quàm in tota eius demonstratione de aggregato composito ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus, quæ compatibles sint in eodem ente: quale non potest non esse, quòd compositum supponitur ex solis duabus: siquidem iuxta demonstrationem factam proposit. 39. duæ quæque perfectiones simpliciter simplices non possunt non in eodem ente compatibles esse. Ob id pro securitate suppositionis in aggregato ex duabus tantum partibus composito posuimus semper exemplum. Cum tamen demonstratio facta vniuersalis sit pro omnibus aggregatis ex quibuslibet multitudinibus partium compositis; dummodò omnes vniuscuiusque partes perfectiones sint simpliciter simplices in eodem ente compatibles.

Propositio 43.

125 Omnis multitudo finita, siue omnis numerus excogitabilis quarumlibet perfectionum simpliciter simplicium necessariò constat ex partibus simul in eodem ente compatibilibus.

Quoniam, acceptis imprimis ex quolibet numero dato singulis binarijs, iuxta proposit. 39. reperiemus, vniuscuiusque binarij duas vnitates in eodem ente necessariò compatibles esse. Cum autem iuxta proposit. 42. quoduis dictorum binarij necessario sit perfectio simpliciter simplex; acceptis deinde singulis eiusdem numeri quaternarijs rursus per eandem proposit. 39. reperiemus, vniuscuiusque quaternarij duo binaria necessario itidem esse in eodem ente compatibilia. Pariterque eisdem ex titulis reperiemus, esse in eodem ente necessariò compatibilia vniuscuiusque octonarij duo quaternaria; & ita deinceps; donec ad duas medietates accedamus integri numeri. Quo tandem concludemus omnes omnino partes eius simul in eodem ente necessariò compatibles esse, ut propositio data fert.

126 Ex qua deinde plane inferitur, quamlibet perfectionem simpliciter simplicem non solum cum quolibet aliâ seorsim esse compatibilem in eodem ente iuxta proposit. 39. sed etiam cum quouis aliarum aggregato finito.

127 Unde rursus sequitur manifestè, nullum esse numerum perfectionum simpliciter simplicium in eodem ente compatibilium, quo maior alius dari non possit. Quia cuilibet dato alix, & alix per-

perfectiones simpliciter simplices cum ipso compatibiles possunt adiungi sine fine iuxta demonstrationes factas. Ex quo patet, perfectiones simpliciter simplices in eodem ente compatibiles syncategorematicè esse infinitas. Id quod stare nequit nisi multitudo perfectionum simpliciter simplicium possibilium, siue excogitabilium intra sumum possibilitatis statum infinita sit categorematicè, ut constat ex generali doctrinà de huiusmodi infinitis traditâ supra disp. 13. q. 2. proposit. 1.

128 Verùm enim verò, quia sermo est impræfentiarum de compatibilitate perfectionum simpliciter simplicium in eodem ente per identitatem, scire opus est, distinctionem, ac multiplicationem earum plerumque per solam nostram rationem fieri. Quæ enim in eodem ente sunt compatibiles, atque adeò compatiuntur defacto, vna perfectio sunt reipsa; quia reipsa omnes sunt idem; tot autem per rationem nostram euadunt, quot à nobis concipiuntur distinctæ eà, quam habemus, facultate dissecandi idem ens in diuisum in plures conceptus, siue formalitates. Possumus autem in eodem ente plures, & plures sine fine distinguere; minutiores tamen semper, & minutiores; qua ratione diximus supra disput. 2. q. 8. posse nos attributa diuina sine fine multiplicare. Quo pacto perfectiones in eodem ente distinguibiles (vti diximus ibidem de attributis in Deo) syncategorematicè infinitæ dicendæ venient; correspondente videlicet huic infinito alio categorematico intra possibilitatis statum, non tam ipsatum perfectionum, (cùm illæ reipsa sint vna), quàm cognitionum possibilium nostrarum, quibus illæ sine fine distinguibiles sunt. Iam verò perfectiones in entibus distinctis repertæ, quando in eundem conceptum vniuocum per rationem nostram conspirant, vna censentur in talibus entibus multiplicabilis. Sic se habet perfectio prædicati substantiæ; sic perfectio prædicati viuentis; & cæteræ huiusmodi. Possunt præterea, & solent concipi à nobis huiusmodi perfectiones abstractæ, & præcisæ, eaque aut magis, aut minus, in plures ve, aut pauiores partes dissecari. Ex quibus dein considerare possumus aliquam multitudinem in vno ente identificabilem, & aliam maiorem in alio, & aliam in alio, &c. Quod est, considerare totidem entia quoad perfectiones conuenientes sibi inæqualia, aut etiam dissimilia, &c. Ex quibus iam satis apparet, quo pacto circa distinctionem, & multitudinem huiusmodi perfectionum philosophandum sit.

Propositio 44.

129 Quæuis omnino perfectio simpliciter simplex necessariò debet esse aut propria, entis omnium optimi, aut ipsi, & non optimo communis.

Est clarum, Nam alioquin cum ente omnium optimo, atque adeò cum aliqua perfectione simpliciter simplici (qualis manifestè illud est) non esset compatibilis contra proposit. 39. Cùm constet nullum prædicatum compati cum ente optimo, siue ei conuenire, quod non sit vel ipsius proprium, vel ipsi & non optimo commune. Tum perfectio nec propria entis optimi, nec communis ipsi, & non optimo, necessariò debet esse propria non optimi, ut etiam constat; annexamque subinde ferre secum imperfectionem prædi-

cati non optimi contra quiditatem perfectionis simpliciter simplicis statutam q. 6.

Quo eodem pacto venit demonstrandum, quamlibet omnino perfectionem simpliciter simplicem necessariò debere esse aut propriam entis à se, aut ipsi & enti ab alio communem. Et consequenter nullam omnino posse esse propriam entis ab alio.

Propositio 45.

130 Ens omnium excogitabilium optimum ex suo proprio conceptu includit, siue habet in se omnes omnino perfectiones simpliciter simplices.

Si enim aliquam non haberet, planè sequeretur, ens optimum non esse optimum. Quod est chymæricum. Quoniam ens optimum titulo talis manifestè est quædam perfectio simpliciter simplex, eoque iure cum eà altera, qua careret, in eodem alio tercio ente compati posset iuxta proposit. 39. Quod tertium iuxta proposit. 41. qualibet parte sui, atque adeò ipso ente optimo necessariò euaderet melius. Quo fieret, ut daretur ens melius optimo. Sicque optimum non esset optimum: quia optimum est, quo non datur melius.

Vel aliter ostensuè. In ente omnium optimo omnes perfectiones reperiuntur, quæ vel ipsius propriæ, vel ipsi, & cuilibet alteri enti communes sunt, ut ex se est manifestum. Igitur reperiuntur omnes perfectiones simpliciter simplices. Quandoquidem nulla earum est, quæ non sit aut propria entis optimi, aut ipsi, & cuilibet alteri enti communis iuxta proposit. 44.

Ex hac propositione inferitur primò, perfectiones simpliciter simplices non solum in quouis numero finito iuxta dicta proposit. 43. Sed etiam in quouis multitudine infinita esse compatibiles in eodem ente, qua ratione illæ possunt esse quoad multitudinem infinitam iuxta dicta ibidem. Quandoquidem multitudo omnium omnino earum in ente optimo compatibilium iuxta propositionem præsentem omnes earundem excogitabiles multitudines tam infinitas, quàm finitas complectitur in se.

Secundò inferitur ex eadem, ens omnium excogitabilium optimum ex suo conceptu obiectiuo, atque adeò intra statum quiditatum præcisè euidenter esse possibile, & necessariò existens. Quia possibilitas, & necessaria existentia ex conceptibus suis obiectiuis, & intra statum quiditatum præcisè euidenter sunt perfectiones simpliciter simplices repertæ ut sic simul cum alijs omnibus in dicto ente optimo iuxta dicta.

Quomodo verò nos hinc non possumus inferre, ens omnium excogitabilium optimum reuera, & simpliciter esse possibile, & necessariò existens in statu existentiali absoluto, ex dictis supra disp. 1. q. 5. & 7. constat; rursumque ex dictis infra q. 9. constabit amplius.

131 Tertiò inferitur, ens omnium excogitabilium optimum eo ipso ex suo itidem conceptu obiectiuo esse vnicum. Tum quia esse vnicum euidenter est perfectio simpliciter simplex, ut constat ex demonstratione secundâ factâ pro vnitare Dei supra disp. 12. q. 2. Tum quia, si entia optima essent plura, vnumquodque titulo optimi reliquis melius esset. Sicque vnumquodque simul esset magis, & minus bonum, quàm singula alia. Quod est chymæricum.

Pro-

Propositio 46.

137 Nulla perfectio simpliciter simplex cum aliqua perfectione simpliciter est incompatibilis in eodem ente.

Quia, cum perfectio simpliciter ut minimum debeat esse æqualis cuilibet sibi oppositæ, & perfectio simpliciter simplex omni sibi oppositæ sit maior iuxta definitiones statutas q.6. si aliqua perfectio simpliciter simplex, & aliqua perfectio simpliciter essent oppositæ inter se, prima esset maior secundâ, & secundâ nihilominus esset æqualis primâ. Quod manifestè est impossibile iuxta doctrinam vniuersalem de æqualibus, & inæqualibus traditam in 1^o phar. Scient. disp. 16. q.3.

Propositio 47.

138 Perfectiones simpliciter ex suis conceptibus vel æquales inter se, vel inæquales esse possunt.

Quia, debere singulas earum esse omnibus sibi oppositis aut maiores, aut saltem æquales iuxta suam definitionem statutam q.6. non obstat, quominus illæ inter se possint esse vel æquales, vel inæquales, prout in simili, quod ad rem attinet, proposit. 40. statutum est. Vnde iuxta ibi etiam dicta vna perfectio simpliciter aggregato plurimum aliarum potest maior esse.

Propositio 48.

139 Necessè est, vt sit perfectio simpliciter simplex quoduis compositum ex duabus, quarum altera est perfectio simpliciter simplex, & altera perfectio simpliciter.

Quia, vt talis non esset, necessarium erat, quod illud aliquam perfectionem non minorem se sibi haberet oppositam, quæ partibus eius seorsim sumptis opposita non esset. Et hæc duo compati nequeunt cum eo, quod altera talium partium sit perfectio simpliciter simplex, & altera perfectio simpliciter, iuxta demonstrationem factam proposit. 42. quæ casum etiam præsentis propositionis amplectitur, vt eam recolenti, & huc applicanti notum fiet.

Propositio 49.

140 Quæuis perfectio simpliciter simplex cum quouis numero perfectionum simpliciter est compatibilis in eodem ente.

Accipiamus enim quemuis numerum perfectionum simpliciter v. g. quaternarium; & planè inueniemus, quod per proposit. 46. quæuis perfectio simpliciter simplex cum quouis vnitate numeri accepti erit compatibilis in eodem ente v. g. cum primâ. Cùmque compositum ex tali perfectione simpliciter simplici, & ex dictâ primâ sit necessariò etiam perfectio simpliciter simplex iuxta proposit. 48. tale compositum rursus per eandem proposit. 46. erit compatibile cum secundâ similiterque compositum secundum resultans ex primo, & ex secundâ eodem titulo erit compatibile cum tertiâ. Compositumque hoc tertium cum quartâ. Et ita deinceps in infinitum, accepto itidem quouis alio numero maiore, & maiore sine fine.

Cum quouis igitur numero excogitabili perfectionum simpliciter est compatibilis in eodem ente quæuis perfectio simpliciter simplex. Sumptis videlicet illis omnibus non tantum diuisiue, sed etiam collectiue. Id namque est, quod euidenter per demonstrationem factam ostenditur.

Cùmque omnis compatibilitas euidenter sit 141 mutua, sequitur planè, perfectiones simpliciter in quouis numero collectiue, atque adeò simul cum quouis perfectione simpliciter simplici compatibiles esse in eodem ente.

Propositio 50.

142 Nullus numerus perfectionum simpliciter simplicium cum aliqua, aut cum aliquo numero perfectionum simpliciter est incompatibilis in eodem ente.

Quia quilibet numerus perfectionum simpliciter simplicium aliqua est perfectio simpliciter simplex iuxta proposit. 42. Et nulla perfectio simpliciter simplex cum aliqua, aut cum aliquo numero perfectionum simpliciter est incompatibilis in eodem ente iuxta proposit. 46. & 49.

Propositio 51.

143 Omnes perfectiones simpliciter cuiuslibet numeri comparatæ inter se collectiue, & simul sunt compatibiles in eodem ente.

Quia collectiue, & simul sunt compatibiles cum eodem tertio scilicet cum quouis perfectione simpliciter simplici in eodem ente iuxta proposit. 49. Et euidenter est, quæcunque simul cum eodem tertio in eodem ente compatibilia sunt, & inter se simul in eodem ente compatibilia esse.

Propositio 52.

144 Quæuis omnino perfectio simpliciter necessariò debet esse aut propria entis omnium optimi, aut ipsi, & non optimo communis.

Nam alioquin eam aliqua perfectione simpliciter simplici (qualis est ens omnium optimum) non esset compatibilis contra proposit. 46. Aliquamque contra suam quiditatem expositam q.6. haberet annexam imperfectionem; vt argumentabamur in simili proposit. 44.

Vnde iuxta ibi etiam dicta quæuis omnino 145 perfectio simpliciter necessariò debet esse aut propria entis à se, aut ipsi, & enti ab alio communis; quin possit vltatenus esse propria entis ab alio.

Propositio 53.

146 Ens omnium excogitabilium optimum ex suo proprio conceptu includit, siue habet in se non solum omnes perfectiones simpliciter simplices iuxta proposit. 45. sed insuper omnes perfectiones simpliciter.

Demonstratur primò ab absurdo. Nam si aliqua, aut quouis aggregato earum careret, sequeretur, ens optimum non esse optimum. Quod est chymericum. Quoniam titulo talis manifestè est quædam perfectio simpliciter simplex, eoque iure in eodem tertio ente compati posset cum eâ aut perfectione, aut multitudine perfectionum, si-

simpliciter; qua careret, iuxta proposit. 46. & 49. Quod tertium ens iuxta proposit. 41. qualibet parte sui, atque adeo ipso ente optimo necessario euaderet melius. Quo fieret, ut daretur ens melius q. optimo. Sicque optimum non esset optimum; quia optimum est, quo non datur melius.

147 Secundò ostensivè. Quia in ente omnium optimo omnes perfectiones reperiuntur, quæ vel ipsius propriæ, vel ipsi, & cuilibet alteri enti communes sunt, ut ex se est manifestum, Igitur reperiuntur omnes perfectiones simpliciter. Quandoquidem nulla earum est, quæ non sit aut propria entis optimi, aut ipsi, & cuilibet alteri enti communis iuxta proposit. 52.

148 Ex hac propositione inferitur, perfectiones simpliciter non solum in quouis numero iuxta proposit. 49. sed etiam in quavis multitudine infinita esse compatibles in eodem ente; quia ratione illæ possunt esse quoad multitudinem infinitam iuxta dicta circa proposit. 43. Quandoquidem multitudo omnium omnino earum in ente optimo compatibilium omnes earumdem excogitabiles multitudines tam infinitas, quam finitas complectitur in se.

149 Porro, quæcumque in hac, & præcedentibus propositionibus de perfectione simpliciter dicta sunt, utriusque ipsius speciei commemoratæ q. 6. sine communia sunt. Fundantur enim in eo, quod illa sit saltem æqualis suis oppositis, & nulli earum minor. Quod utriusque ipsius speciei convenit.

Propositio 54.

150 Multæ perfectiones simpliciter simplices cum multis perfectionibus secundum quid sunt compatibles: de factoque subinde compatiuntur in eisdem entibus.

Est certum. Quia prædicata generalia entis, substantialis, spiritualis, viventis, intellectui, volitui, & alia huiusmodi ex universaliorebus cum prædicatis differentialibus specierum eis inferiorum, ut Angelorum, elementorum, animalium, plantarum, lapidum, aliarumque huiusmodi in ipsis speciebus, atque adeo in omnibus individuis earum compatiuntur per identitatem defecto, ut est notissimum. Cum tamen illa prædicata priora perfectiones simpliciter simplices: hæc verò posteriora perfectiones secundum quid sint manifestæ: eo quod unumquodque priorum nullam; unumquodque verò posteriorum aliquam aliam perfectionem oppositam sibi habent, & se maiorem. De quo nullum est dubium.

Propositio 55.

151 Aliquæ perfectiones simpliciter simplices minores perfectiones sunt ex suis conceptibus, quam aliquæ perfectiones secundum quid.

Est etiam certum. Cum sit manifestum, prædicatum entis, & prædicatum substantiæ prædicis sumpta minores perfectiones esse, quam prædicata differentialia quibus Angeli, & homines in suis conceptibus constituuntur. Et tamen illæ perfectiones simpliciter simplices; hæc verò perfectiones secundum quid sunt; ut non minus est notum.

Vnde patet; bene posse perfectionem aliquam ferentem secum annexam imperfectionem negatiivam; qualis est omnis perfectio secundum quid, ut iuxta definitionem eius statumus q. 6. maiorem esse nihilominus aliâ ab omni imperfectione immuni; qualis est omnis perfectio simpliciter simplex, ut pariter iuxta eius definitionem ibidem statutum est.

Propositio 56.

152 Dux, vel plures perfectiones secundum quid inter se comparatæ aut compatibles, aut incompatibiles esse possunt in eodem ente.

Quia neutrum horum recusat conceptus quiditativus earum. Esse enim unamquamque earum minorem alicui saltem ex sibi oppositis, ob idque mixtam imperfectionem, in quo stat earum quidditas, neque obstat, quominus illæ in eodem ente compatiantur, neque obstat, quominus illæ oppositæ etiam sint inter se, ut satis ex se notum est. Et per exempla fit manifestum. Nam conceptus accidentis, & conceptus corporei, qui planè sunt perfectiones secundum quid, in eodem calore reperiuntur. Differentiæ verò specificæ aeris, & lapidis, aliarque huiusmodi, quæ apertè sunt etiam perfectiones secundum quid, incompatibiles sunt in eodem ente, ut est notum.

Propositio 57.

153 Melius est enti, esse non imperfectum, quam esse imperfectum, cæteris paribus.

Ex terminis ipsis est notissima propositio. Sed explicare illam distinctius, oportet, supponendo imprimis, dumtaxat agi impræsentiarum, de imperfectionibus negatiivis, non de positivis iuxta distinctionem earum traditam supra q. 4. Quo posito, si sermo sit de imperfectione integrali, aut centrali consistente in verâ negatione, aut complementi, aut accidentis perfectiui entis prout statumus in eadem q. 4. veritas propositionis clarissima est. Cum sit clarissimum, melius se habere ens cum tali complemento, aut accidente, quam cum eorum carentiâ, seu negatione, cæteris immutatis. Quod ipsum est, melius esse enti, esse non imperfectum, quam esse imperfectum isto genere imperfectionis, cæteris paribus.

Si verò sit sermo de imperfectione essentiali consistente iuxta dicta ibidem in eo, quod aliqua perfectio entis alterius maioris sit exclusivæ propter oppositionem, incompatibilitatemque cum illâ in eodem ente, sensus propositionis est, melius esse enti loco cuiusvis perfectionis exclusivæ alterius maioris, habere aliam ei saltem æqualem, quæ nullius maioris sit exclusivæ. Hoc enim est, melius esse enti loco cuiusvis perfectionis imperfectione aliqua mixtæ habere aliam ei saltem æqualem ab omni imperfectione immunem. Quod ipsum est, melius esse enti, non esse imperfectum, quam esse imperfectum, cæteris paribus.

Additur autem in propositione cæteris paribus. Quia, cum fieri possit, ut perfectio aliqua mixta imperfectione maior nihilominus sit, quam alia immunis ab imperfectione iuxta proposit. 55. semperque sit melius enti habere maiorem, quam habere minorem perfectionem, ut termini ipsi planè præferunt, fieri utique poterit, ut melius sit

fit enti esse imperfectum, quam esse non imperfectum: quia fieri poterit, ut una cum imperfectione maiorem perfectionem habeat, quam sine illa. Oportet igitur ad hoc, ut melius enti sit carere imperfectione, quam illam habere, quod æqualem saltem perfectionem habeat illud pro utroque casu. Quod si pro casu defectus imperfectionis maiorem perfectionem, quam pro casu imperfectionis habuerit, multo adhuc melius illi erit, ut constat.

Propositio 58.

157 Melius est enti nullam habere perfectionem secundum quid, quam habere aliquam, cæteris paribus.

Quia, cum perfectio secundum quid sit mixta imperfectione iuxta eius definitionem datam q. 6. habere ens aliquam perfectionem secundum quid, & esse imperfectum in idem recidit. Sed melius est enti esse non imperfectum, quam esse imperfectum, cæteris paribus, iuxta proposit. 57. Ergo melius est enti, nullam habere perfectionem secundum quid, quam habere aliquam, cæteris paribus.

Propositio 59.

158 Perfectiones secundum se præcisè æquales inæquales euadunt, quando altera imperfectione mixta est, altera verò secus.

Quoniam, quæ imperfectione est mixta, ab ipsa imperfectione censetur imminui. Alioquin non esset melius enti esse non imperfectum, quam esse imperfectum, cæteris paribus, contra proposit. 57.

Propositio 60.

159 Absolutè est melius enti esse non imperfectum, quam esse imperfectum.

Quia absolutè est melius enti habere tantam, aut maiorem perfectionem sine imperfectione, quam habere tantam, aut minorem cum illa, ut ex se, & ex dictis satis, superque est manifestum.

160 Vnde etiam apparet, absolutè esse melius enti, habere tantam, aut maiorem perfectionem absque vllâ imperfectione secundum quid, quam, habere tantam, aut maiorem cum aliqua. Hoc namque recidit in illud, ut etiam est notum ex dictis.

Propositio 61.

161 Ens non imperfectum melius est in se, quam ens imperfectum, tum cæteris paribus, tum absolutè.

Quia iuxta proposit. 3. ab eo euadit ens melius in se, quod ipsi melius est formaliter. Sed iuxta proposit. 57. & 60. tum cæteris paribus, tum absolutè est melius enti (puta formaliter, nam de tali meliori est sermo) esse non imperfectum, quam esse imperfectum. Igitur ens non imperfectum melius est in se, quam imperfectum, tum cæteris paribus, tum absolutè.

Propositio 62.

162 Nullum ens indiuiduum excogitabile, præter optimum omnium, immune est ab omni imperfectione essentiali. Et consequenter neque ab omni perfectione secundum quid.

Quia, cum vnumquodque ens indiuiduum ex sua differentiâ indiuiduali distinctum sit à quolibet alio, atque adeò incompatible per identitatem cum illo in eodem ente, vnumquodque ens indiuiduum, præter optimum omnium, à sua differentiâ indiuiduali habet esse perfectionem exclusiuam alterius perfectionis maioris, qualis est comparatione vniuscuiusque perfectio saltem ipsius optimi, præter perfectiones aliorum à quibus vnumquodque exceditur. Quod ipsum est, vnumquodque indiuiduum, præter optimum, à sua differentiâ indiuiduali tanquam à quadam perfectione secundum quid imperfectione essentiali mixtum euadere. Nullumque subinde, præter optimum, à tali imperfectione, à talique perfectione secundum quid esse immune, ut propositio data fert.

Propositio 63.

163 Ens omnium excogitabilium optimum ex suo conceptu est non imperfectum.

Quia, cum ens non imperfectum sit melius absolute, quam ens imperfectum, iuxta proposit. 61. si ens optimum esset imperfectum, aliud esset excogitabile melius ipso, nempe non imperfectum. Sicque ens omnium excogitabilium optimum omnium excogitabilium non esset optimum. Quod est chymæricum.

164 Vnde sequitur primò, ens omnium excogitabilium optimum ab omni imperfectione esse immune. Alioquin esset imperfectum contra propositionem. Cum idem sit planè ens esse imperfectum, & aliquam perfectionem in se, siue ad mixtam secum habere.

165 Secundò sequitur, ens omnium excogitabilium optimum nullam perfectionem secundum quid includere, siue habere in se. Alioquin includeret, siue haberet in se imperfectionem, quam necessariò secum fert ex conceptu suo omnis perfectio secundum quid iuxta ipsius definitionem statutam q. 6. atque ita imperfectum esset contra propositionem. Vnde rursus fit, omnes omnino perfectiones, ex quibus ens omnium optimum constat, aut esse perfectiones simpliciter simplices, aut perfectiones simpliciter. Quandoquidem ad solas istas tres species reuocantur omnes iuxta dicta q. 6.

166 Tertio sequitur, omnem perfectionem secundum quid aliquam entis optimi perfectionem habere sibi oppositam. Nam si haberet nullam, cum omnibus eius compatibilis esset; defacto que proinde compateretur contra præcedens consecutarium. Siquidem quæcunque per identitatem in eodem ente compatilia sunt, defacto compatiuntur, in eoque subinde sint identificata, necesse est; identitas quippe conceptuum non eis accessoria, sed essentialis, atque necessaria est, ut constat. Quamlibet autem perfectionem entis optimi oppositam cuilibet perfectioni secundum quid ipsa

maiores, aut saltem ipsi æqualem debere necessario esse, inde planè conspicitur: quia, si esset minor illà, eo ipso esset perfectio secundum quid reperta in ipso ente optimo contra idem confectarium præcedens.

- 167 Porro quæcunque in hac, & in præcedentibus propositionibus diximus de perfectione secundum quid, omnibus quatuor eius speciebus commemoratis supra q. 6. sine communia sunt. Fundantur enim in eo, quòd illa minor sit aliqua ex sibi oppositis. In quo tanquam in prædicato communi omnes quatuor dictæ species conueniunt.
- 168 Sufficiantque modò propositiones istæ præsentis quæstionæ. Ad quarum normam vnusquisque alias, & alias poterit adinuenire, & adiungere, combinatis, collatisque inter se, & cum alijs præsentis disputationis terminis omnibus.

QUESTIO VIII.

Virum omne ens sit bonum. Et per quid in esse talis constituatur.

- 169 **E**rror fuit Manichæorum, Priscillianistarum, & aliorum hæreticorum asserentium, esse quasdam creaturas suâ naturâ malas, & à primo quodam Principio malo procreatas. Ponebant enim duo prima Principia rerum; alterum bonarum summè bonum, & alterum malarum summè malum. Quem errorem referunt, refutantque Nicéph. lib. 6. Hist. cap. 31. Euseb. lib. 7. cap. 28. & Patres communiter, potissimum August. tom. 6. lib. de Hæres. hæres. 46. alijsque in locis prope innumeris suorum operum, ubi agit contra Manichæos. Et S. Th. 1. p. q. 48. & 49. ibique eius Expositores. Et communiter Scholastici in 2. dist. 34. & 35.

- 170 De fide tamen est, omne ens creatum naturâ suâ bonum esse. Dicitur enim Genes. 1. de singulis diuinis operibus. *Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Moxque de omnibus simul. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Et Ecclesiast. 3. *Cuncta fecit bona in tempore suo.* Et 1. ad Timot. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Et est definitum à Leone Papa epist. 93. ad Thuribium. Et in Concilio Brachar. cap. 7. & 8. Ex parteque in Concilio Lateran. prout habetur cap. *Firmiter* de Summ. Trinit. & Fide cathol. Rationeque etiam naturali demonstratur. veritas ista, prout vidimus q. 7. propos. 36. & 37. Quòd si omne ens creatum est bonum; potiore iure bonum erit ens increatum primum omnium creatorum entium Principium. Quòd esse vnicum, tanquam certum secundum fidem, & euidens secundum rationem tradidimus supra disp. 12. q. 2. De cuius bonitate speciatim agemus disp. seq.

- 171 Bonitas autem, à qua omne ens euadit bonum naturâ suâ, transcendentalis appellatur: quia in omni ente, & in omni singulorum entium formalitate reperitur. Passioque entis vniuersalissimè sumpti dicitur esse: eo quòd vbiunque ratio entis inuenitur, ibi inueniatur ratio boni, necesse est. Cæterum, quia vt vidimus supra q. 1. alia est bonitas absolutâ, à qua aliquid bonum est in se ipso; alia est bonitas respectiua, sine relata, à qua aliquid bonum est alicui. Controuersia est inter Doctores, quænam huiusmodi bonitatum sit ea, quæ transcendentalis, & passio entis nun-

cupatur. Sunt non pauci, qui censent, bonitatem entium transcendentaliter eam respectiuam esse, quæ quoduis ens alteri enti bonum est. Communior tamen est sententia asserentium, non esse eam, sed absolutam, quæ quoduis ens bonum est in se se.

Ego censo dicendum primò, bonitatem transcendentaliter nullatenus esse eam respectiuam, quæ vnus ens alteri enti bonum est. Primò; quia non omne ens est bonum alteri formaliter, atque adeò propriè, licet sit bonum causatiuè, sicque minus propriè, iuxta diuisionem horum bonorum factam, & explicatam q. 1. (Substantia quippe completa, vt Angelus, alteri similiter completa nequit esse bona formaliter: quia nequit esse formaliter perfectiua eius). Bonitas autem transcendentalis omni enti conueniens formalis, & propria esse debet, vt ex se notum est. Secundo; quia neque omne ens est bonum omnibus alijs entibus; cum aliqua aliquibus mala, & aliqua aliquibus adiaphora sint, vt constat; neque omne ens eidem, aut eisdem omnino alijs entibus bonum est, sed quædam quibusdam alijs sunt bona, quædam alijs diuersis, vt etiam constat. Vnde planè sequitur, bonitates respectiuas ad alterum in singulis entibus repertas adeò inter se diuersas esse, vt in vnico conceptum bonitatis respectiuæ ad alterum coire non possint omnibus entibus communem, qualis necessario debet esse, conceptus bonitatis transcendentalis, quæ passio est entis vt sic; vt etiam ex se notum est. Tertiò; quia bonitas, quæ vnus ens alteri est bonum, ipsi enti semitrinseca, atque adeò accessoria est, vt constat ex doctrinâ statuta q. 1. Comperitur est autem, bonitatem transcendentaliter, quæ passio entis ponitur, intrinsecam, & essentialiter ipsi enti esse debere, vt pote quæ non realiter, sed per rationem dumtaxat debet ab ipso ente distinguì, vt docent omnes cum S. Th. 1. p. q. 5. art. 1.

Hinc secundò censo dicendum, neque posse esse bonitatem transcendentaliter eam absolutam, quæ ens aut accidentaliter, aut integraliter in se absolute dicitur esse bonum iuxta doctrinam stabilitam q. 1. tum quia neutra harum, est essentialis, & identificata cum ente, qualis debet esse transcendentalis: tum quia non omne ens est in se absolute bonum aut bonitate accidentali, vt patet in Deo, qui per nullum accidens potest meliorari, reddique subinde bonum in se, aut bonitate integrali, vt patet in omni ente simplici, qui nullas partes habet.

Tertiò igitur censo dicendum, duas esse bonitates transcendentales, non quidem realiter, sed tantum formaliter, siue per rationem nostram distinctas inter se. Alteram, quæ quoduis ens per suam essentialitatem, siue ab essentialitâ suâ habet, esse bonum in se absolute. Alteram, quæ quoduis ens per suam essentialitatem, siue ab essentialitâ suâ habet, esse bonum sibi respectiuè. Vtraque enim ista bonitas necessario reperitur in omni ente. & in omni singulorum entium formalitate, vt quid cum eis identificatum realiter, & ipsis essentialiter, prout ex generali doctrinâ statuta q. 1. satis, superque notum est. Quo nihil desideratur, vt vtraque sit bonitas transcendentalis, & passio entis vniuersalissimè sumpti.

Quomodò autem prima in eâ veluti vnica consistat, quam quoduis ens à solâ suâ essentialitate participat, & ratione cuius euadit dignum, vt aestimetur, & ametur in se, & propter se. Secunda verò consistat in conuenientia, quæ quod-

quoduis ens sibi ipsi conueniens, & consentaneum est. Quomodo item utraque in suo conceptu reali solem essentiam importet cuiusvis entis; formaliter verò, siue prout à nobis concipiuntur, relatio quædam rationis sit non ficta, sed supposititia; ex dictis etiam tum q. 1. num. 8. tum maxime in loco Phari citato ibi satis est notum.

176 Vnde etiam patet, ambas huiusmodi bonitates conceptus esse ratione nostrâ, atque adeo formaliter distinctos à conceptu entis; siue ens sumatur pro essente, (vt sic dicam), idque vel essentialiter, vel essentialiter; siue pro potente esse vtrius ex his modis, iuxta diuersas ipsius acceptiones traditas, & latè expositas à nobis in Pharo Scient. disp. 9. q. 1. & 2. Compertum est enim actum existendi, & actum essendi quidpiam, & potentias ad illos conceptus esse diuersos in mente nostrâ, atque adeo formaliter à venustate, & à conuenientia, in quibus bonitas absoluta, & respectiua consistunt, (vt dictum est). Quoniam autem conceptus entis & est metaphysicè conexus cum conceptu boni, & illo prior aliquo modo ratione nostrâ, vt omnes communitè docent cum S. Th. 1. p. q. 5. art. 2. idcirco esse bonum, siue bonitas passio metaphysica entis dicitur esse, iuxta doctrinam vniuersalem de passionibus rerum latè à nobis datam in Pharo Scient. disp. 17. q. 18. In quibus ampliùs hic non oportet morari. Vide ista, si placet, latius disputata apud Soar. in Metaph. disp. 10. sect. 1. & 3.

177 Hæc dicta potissimum sunt de bonitate entium actualiter existentium. Sed dubitari insuper potest, verum entia item purè possibilia sint bona, & qualiter. Nullum enim ens videtur esse bonum, donec existit; quandoquidem primum, & fundamentale bonum eius existentia est.

178 Sed dicendum tamen est primò, qua ratione quodlibet ens purè possibile intra statum quiditatum præcisè suam essentiam, suasque passiones metaphysicas, & necessarias habet, siue tale de suo est quoad essentiam, & quoad passiones, iuxta doctrinam vniuersalem de statu quiditatum entium datam à nobis in Pharo Scient. disp. 10. q. 1. eadem ratione habere illud intra statum quiditatum suas bonitates transcendentales absolutam, & respectiuam, siue bonum de suo esse in se absolute, & sibi respectuè: siquidem bonitates istæ è numero sunt metaphysicarum passionum eius, vt statuimus. Itaque, qua ratione est verum de homine purè possibili, esse eum de suo animal rationale, esse risibilem, esse admirabilem, tum esse substantiam, & esse ens, siue potens existere, &c. Ita quoque est verum de eodem, esse eum de suo pulchrum, atque adeo bonum in se, & esse conuenientem sibi, atque adeo sibi ipsi bonum. Imo bonitas existentie entis indistincta ab ipso reipsa priùs concipitur in statu quiditatum, quam in existentiâ, ex primoque mouet ad amorem, per quem ponenda est in secundo. Vnde, quòd existentia entis sit primum, & fundamentale bonum eius prout in statu existentiâ, non tollit, quòd totum ens cum ipsâ suâ existentia sibi, & in se sit bonum priùs in statu quiditatum.

179 Hinc secundò dicendum est, entia purè possibilia ijs subiectis à se distinctis esse etiam respectuè bona intra statum quiditatum, quibus existentially bona essent, si vnâ cum subiectis ipsis existerent: quia, quòd talibus subiectis sint bona, passio etiam metaphysica, & necessaria eorum est; quam proinde non possunt non habere, de suo in quocunque statu vnâ cum subiectis ipsis considerentur. Vnde etiam fit, vt subiecta eiusmodi ab ipsis suis bonis respectuè bona in se euadant absolute etiam in statu quiditatum; quia etiam est passio metaphysica, & necessaria eorum à coniunctione cum illis euadere in se absolute bona. Quanquam enim coniunctio istorum extremorum in statu existentiâ cuius eorum accidentaria sit, quatenus quoduis eorum, altero non existente, existere potest; at ex suppositione talis coniunctionis nec potest vnum non esse alteri respectuè bonum, nec potest hoc non euadere absolute bonum ab illo: quia vtrumque id habet suâ naturâ prout coniuncta cum naturâ alterius: nec potest propterea non habere in quocunque statu considerentur prout coniuncta cum illo.

180 Tertiò dicendum est, ipsam entium purè possibilem possibilitatem ab eis realiter indistinctam iuxta doctrinam à nobis statutam in Pharo Scient. disp. 11. q. 1. sæpe esse quodammodo bonam actu entibus actu existentibus quatenus talibus, non quidem bonitate formali, sed quasi causatiua: quatenus scilicet ad aliquod eorum actuale bonum aliqua ratione conducit; vel tanquam terminus connexionis eius; quo pacto insententiâ multorum possibilitas effectuum conducit ad existentiam causarum, vt pote suapte essentiâ connexarum cum illâ; & in sententiâ omnium quæuis possibilitas cognita per cognitionem essentialiter veram, connexamque proinde cum illâ conducit similiter ad existentiam ipsius cognitionis; vel tanquam conditio completiua, intrinsecèque constitutiua ipsius boni actualis; quo pacto possibilitas actuum potentiam proximam ad illos entibus existentibus bonam actu, & formaliter complet, atque constituit iuxta doctrinam à me datam in Pharo Scient. disp. 8. q. 5. proposit. 5. Possit enim aliquid perse non bonum completere aliquid per se bonum, patet in morbo per se non bono animali, quo tamen posito, aliqua sunt animali per se bona, quæ sine illo talia non essent. Quomodo autem huiusmodi denominationes bonæ dicantur actuales, siue existentes actualiter, tamen si aliquid eas constituens actualiter non existat, ex doctrinâ vniuersali à me etiam traditâ in eadem Pharo disp. 9. q. 5. proposit. 7. poterit vnusquisque dignoscere.

QVÆSTIO IX.

Virum non entia sint aliqua ratione bona.

181 **N**on ens bifariam sumi potest. Primò pro non existente, siue pro negatione entis. Secundò pro non potente existere, siue pro chymera impossibili. Chymera autem impossibilis aut potest esse earum, quæ tantum per species alienas, atque adeo non in se, sed in alieno substituto sunt conceptibiles, nullamque subinde in se quiditatem, aut veritatem quiditatum habent: aut potest esse earum, quæ etiam per species proprias, atque adeo in se ipsis conceptibiles sunt, propriasque subinde essentias obiectiuas, & veritates quiditatuas habent reuerâ intra statum quiditatum, aut etiam existentialem conditionatum, iuxta doctrinam à nobis traditam, expositamque in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 4. & disp.

disp. 11. q. 2. Igitur proposita quæstio de omnibus istis generibus non entium procedit.

Propositio 1.

182 Nulla negatio entis bonitate essentiali, siue transcendentali est bona aut in se absolute, aut sibi respectiue.

Quia nulla negatio entis habet essentiam ullam à parte rei; cum sit à parte rei prorsus nihil. Tamec si à nobis ad instar entis concipiatur; veraque realiter dicenda veniat, non quod per illam sit quidpiam verè in rebus, sed quod per illam quidpiam in rebus verè non est; prout latius à nobis est expositum, & comprobatum in Pharo Scient. disp. 9. q. 3. Compertum est autem, non posse esse bonum per suam essentiam aut in se absolute, aut sibi respectiue id, quod nullam essentiam habet.

183 Vnde etiam sequitur, nullam negationem entis posse euadere in se absolute bonam aut integraliter, aut accidentaliter per aliquid sibi adiunctum, sibi que bonum respectiue, & formaliter. Quia omnes istæ bonitates supponunt in subiecto essentiam aut integraliter, aut accidentaliter perficiendam; qualem nulla negatio entis habet, vt dictum est.

Propositio 2.

184 Multæ negationes multis entibus aut formaliter, aut causatiue sunt respectiue bonæ suo modo.

Dico suo modo; quia negationes non sunt formaliter bonæ entibus ponendo aliquid in ipsis, sed remouendo; neque sunt bonæ causatiue causando, sed auferendo impedimentum causationis. Hisce autem modis esse cas sæpe sapius entibus bonas, est manifestum. Cum planè constet, esse bonum Beatis carere cruciatibus Damnatorum; esse bonum animalibus carere morbis; esse bonum aquæ carere calore sibi disconueniente; & igni carere frigore pariter dissentaneo sibi, &c. Tum bonum esse cuiuslibet enti quoquo modo intendenti, siue appetenti aliquod bonum, quod non existat quoduis ens aliud impediturum tale bonum quauis ratione, &c. Et quidem, cum multa positina multis entibus sint respectiue mala, vt ostendemus q. 10. non possunt non eisdem entibus esse bonæ talium positiuorum negationes, siue carentiæ, vt pote positiuis ipsis contradictoriè oppositæ. Quandoquidem vnicuique enti est bonum, imo & debitum contradictorium eius, quod sibi est malum, iuxta proposit. 4. statutam q. 7.

185 Hinc sequitur primò, multa entia à multis negationibus aliorum entium sibi adiunctis euadere in se absolute bona aut integraliter, aut accidentaliter. Quandoquidem quodlibet ens ab omni eo, quod sibi respectiue, & formaliter bonum est, bonum in se absolute euadit iuxta proposit. 3. statutam etiam q. 7.

186 Secundò sequitur, solas negationes malorum esse bonas. Quia, quod non titulo ponendi quidpiam, sed titulo remouendi est bonum, vt tale sit, malum debet esse, quod remouet. Remotio enim boni, aut etiam adiaphori præcisè qua talis bona non est, vt ex se apparet. Ex quo etiam fit, vt neque possit quidpiam euadere

in se absolute bonum per negationem, nisi ea sit negatio alicuius mali, per quod, si adesse, euaderet in se absolute malum.

Vnde sequitur tertio, omnem negationem bonam alicui subiecto eo ipso debitam illi esse. Quia malum, quod contradictoriè remouet ab eodem subiecto, eidemmet est necessarium indebitum iuxta proposit. 5. statutam q. 7. Et omne contradictorium indebiti eo ipso debitum est iuxta definitiones statutas q. 5.

Quarto sequitur, omnem negationem entis secundum se consideratam omni bonitate essentiali non solum positiuam, sed etiam negatiuam seu remotiuam destitutam omnino esse. Primum enim habet, quod nullam habet essentiam, in qua bonitas positiuam fundetur, iuxta dicta proposit. 1. Secundum verò, quod nequiquam est remotio alicuius mali essentialis. Quandoquidem omne ens per eam exclusum prorsus est bonum, atque adeò non malum essentialiter, vt contra Manichæos est statutum q. 8. Quorum sententia si vera esset, negationes eorum entium, quæ essent essentialiter mala, essentialiter bonæ remotiue dicendæ essent.

Propositio 3.

Chymæ illæ, quæ solum per species alienas, atque adeò in alieno substituto sunt conceptibiles, nullam bonitatem habent in se aut absolutam, aut respectiuam.

Quia, vt constat ex locis supra citatis Phari, vbi de eis agitur, non solum nullam quiditatem, sed ne veritatem quidem ullam obiectiuam habent in se. Vnde nec bonitatem ullam aliquo modo veram in se habere possunt. Cum sit manifestum, bonitatem aliquo modo veram absque aliqua veritate obiectiuam constare non posse. Quod adeò certum est, vt negationes ne suo quidem remotiuo modo possent bonæ esse respectiue prout proposit. 2. statuimus, nisi eo suo ipso remotiuo modo essent veræ. Quippe propter positiuam bonæ esse nequeunt iuxta ibi dicta; quia positiuæ non sunt veræ.

Propositio 4.

Chymæ illæ, quæ etiam per species proprias, atque adeò in se ipsis sunt conceptibiles, quemadmodum suas essentias, & passiones, suasque proinde obiectiuas veritates, ita quoque & suas bonitates habent reuera intra statum quiditatum.

Habere eiusmodi chymæras suas essentias, & passiones, & veritas obiectiuas reuera intra statum quiditatum, constat ex generali doctrina tradita à nobis in Pharo Scient. disp. 10. & 11. Inde autem videret planè sequi, habere quoque intra eundem statum suas bonitates, vt pote quæ sicut essentiarum positiuarum possibilium, ita & impossibilium sunt passiones metaphysicæ proculdubio. Vt enim secundus Deus chymæricus ex suo conceptu obiectiuo, & intra statum quiditatum præcisè verè est omnipotens, sapiens, æternus, immensus, infinitus, &c. ita etiam ex suo ipso conceptu obiectiuo, & intra eundem statum verè est bonus per essentiam tum in se absolute, tum sibi respectiue. Quia quæ in his omnibus con-

concipitur proprio conceptu omnino similis, & æqualis vero nostro Deo. Tametsi, sicut illa omnipotentia, sapientia, æternitas, &c. totiusque Deus ipse secundus quoad existentiam est impossibilis; ita etiam istæ ipsius bonitates quoad existentiam sint impossibiles, quod non interest ad rem. Similiter, sicut creatio impossibilis Angeli oriunda ab homine aliquo ut à causâ adæquatâ ex suo conceptu obiectiuo est accidens, & actio talis hominis, & metaphysicè cum eo connexa, ita etiam ex suo conceptu obiectiuo ipsi homini est respectuè bona tum physicè tum etiam moraliter; quia physicè, & moraliter esset citra omne dubium conueniens tali homini in statu existentia- li pro suo arbitratu creare Angelum ut adæquata causa eius, si id ipsi possibile foret pro tali statu. Ex quo fit, ut iam nunc in statu quiditatiuo ex suoque conceptu obiectiuo id ipsum sit tali homini conueniens, atque adeò respectuè bonum tum physicè, tum etiam moralitate. Unde consequenter efficitur iuxta propos. 3. statutam q. 7. ut talis homo prout cum tali creatione coniunctus iam nunc etiam intra statum quiditatiuum absolute in se sit bonus, aut magis bonus tum physicè, tum etiam moraliter. Pariterque de alijs huiusmodi chymæris philosophandum est. Itaque, licet chymæra impossibiles essentialiter absolute, siue prout absolute existentes nequiquam possint esse bonæ aut in se, aut alicui subiecto; eo quod nequiquam possunt existere absolute: hoc tamen non tollit, eas esse tum in se, tum alicui subiecto bonas quiditatiue, siue in suo statu quiditatiuo, prout explicauimus; aut etiam in statu essentiali conditionato quiditatiuo annexo iuxta dicta etiam à nobis locis citatis Phari.

191 Addo, (vti dicebam in simili de possibilitate possibilium q. 8. n. 180.), impossibilitatem impossibilem esse quodammodo bonam actu encibus absolute existentibus quatenus talibus non formali, sed alicuius conducentiæ utilitatis ve bonitate; vel quia essentialis eorum terminat connexiones: vel quia aliquas perfectiones, seu bonitates actuales eorum aliqua ratione constituit, vti constituit impeccabilitatem Christi, & Beatorum, quæ quædam eorum bonitas, siue perfectio est, impossibilitas peccati oriundi aut à voluntate Christi prout vnità hypostaticè, aut à voluntate Beatorum prout in statu beatifico. Similiterque venit dicendum de alijs huiusmodi.

192 Verum enim verò, quia potissima rerum bonitas in actuali earum existentia consistit, per quam cæteræ earum bonitates vnâ cum ipsarum essentialibus in statu existentia constituantur, & esse essentialia habent, scire opus est, res omnes purè possibilis, & chymæras impossibiles istâ existentia bonitate destitutas esse, eo ipso, quod actualiter non existunt; cum hoc tamen discrimine, quod res purè possibilis illam habere possunt; chymæra verò impossibiles minimè; eoquod illæ existere actualiter possunt, hæc verò nequaquam.

193 Unde inferitur primò, chymæras impossibiles non esse prudenter appetibiles appetitui desiderij, aut quouis alio intentiuo existentia earum; qualiter appetibiles sunt res purè possibilis. Quia solum potest desiderari, aut quouis alio modo intendi prudenter, quod possibile est: & sola rerum possibilium, non item chymærarum impossibilem existentia est possibilis. Poterunt tamen chymæra impossibiles aliquo genere complacentia non intentiue prudenter appeti, eoque subin-

de appetibiles dicendæ venient propter eas bonitates sumptas præcisè, quas de suo habent intrastatum quiditatiuum, vt explicatum est.

194 Secundò inferitur, tam res purè possibilis quàm chymæras impossibiles à negatione suæ existentia tanquam à negatione potissima bonitatis, atque adeò perfectionis suæ imperfectas posse denominari, imperfectione videlicet negatiua, non positua: eo quod eiusmodi negatio non bonitatis debita, sed bonitatis non debita negatio est. Neque enim rebus, & chymæris non existentibus vllò iure quidpiam deberi potest. Quare neque mala eis dici potest eiusmodi negatio existentia; cum sola negatio bonitatis subiecto debita, quæ imperfectio positua appellatur, non verò item negatio bonitatis non debita mala subiecto ipsi dicatur. Vtrum verò rei existenti corruptio, atque adeò negatio existentia possibilis, aut futura sit mala; & qualiter q. 11. declarabimus.

195 Sed dicit aliquis. Chymæra impossibilis essentialiter est connexa cum negatione suæ existentia. Igitur ipsi est debita talis negatio; & consequenter eidem indebita est ipsa existentia, iuxta doctrinam statutam supra q. 5. atque adeò non bona, sed potius mala; cum omne subiecto indebitum ipsi malum sit iuxta propos. 8. statutam q. 7. Negatio ergo existentia nequit chymæra esse imperfectio; cum non sit negatio alicuius boni, sed alicuius mali eius. Falsumque est insuper, quod paulò ante supposuimus, existentiam scilicet chymæra ipsi chymæra bonam esse. Respondeo, etsi chymæra ex suo conceptu essentiali cum negatione suæ existentia connexa sit; hanc tamen ipsi nequiquam debitam esse, atque adeò neque indebitam existentiam; quia, vt nuper dicebam, rebus, & chymæris non existentibus non potest quidpiam esse debitum, aut indebitum: eo quod, dum existentiam non habent, neque ius aliquod ad quidpiam habere possunt; sicut neque aliquam exigentiam, aut appetitum, vtpote quæ rerum existentiam supponunt, & in eâ fundantur. Unde, quod chymæra sit necessaria negatio existentia, & existentia ipsa impossibilis, non tollit, hæc ex conceptu suo obiectiuo bona illi sit: quandoquidem dato casu, quod chymæra existeret, bonum ipsi citra omne dubium esset existere. Huic autem doctrina non opponitur illa, quam locis citatis dedimus. Nam ibi solum erat sermo de veris debitis, & indebitis: qualia dumtaxat dari possunt respectu subiectorum actu existentium.

196 Pergo ergo, & infero tertio, quemadmodum existentia bonitatem existentia actualis habent, quæ carent non existentia, ita etiam possibilis bonitatem possibilitatis habere, quæ carent impossibilia.

197 Quarto infero, quando concipitur existens actu id, quod actu existens non est, licet ex suo ipso conceptu existentis actu non possit non esse existens actu, atque adeò bonum bonitate existentia intrastatum quiditatiuum iuxta doctrinam vniuersalem de statibus rerum traditam in Pharo Scient. disp. 10. & sæpe tactam supra disp. 1. q. 5. & 7. Illud tamen, vt nequit dici simpliciter existens actu; quia talem existentiam non habet in statu existentia; ita nec dici posse bonum simpliciter bonitate existentia. Sicuti iuxta dicta ibidem quantumuis chymæra concipiatur possibilis, atque adeò bona bonitate possibilitatis, talisque subinde sit ex suo ipso conceptu intrastatum qui-

quiditatum; simpliciter tamen neque est possibile, nec bona tali bonitate; quia talis non est, qualis, si existeret, sine contradictione existeret.

198 Ex quo infero quinto id, quod concipitur optimum, atque adeo tum possibilitatis, tum existentie actualis bonitatis præditum, quantumvis necessarid, evidentissimèque sit tale ex suo ipso obiectiuo conceptu intra statum quiditatum, fieri tamen posse ut reuera, & simpliciter non sit tale; eo quod illum suum ipsum obiectiuum conceptum, quem verissimè, & apertissime habet in statu quiditatu, in statu existentiæ reuera non habet, aut etiam non potest habere; simpliciterque subinde quid non existens, aut etiam quid non possibile, sed chymericum est.

199 Vnde etiam apparet, quomodo nos ex ipsis terminis neutiquam possimus indicare euidenter, imò ne probabiliter quidem de ente apprehenso à nobis ut optimo, vel carente omni imperfectione, vel tali, quo melius nequeat cogitari, esse illud tale, & consequenter possibile, & necessarid existens reuera, & simpliciter, in statu scilicet existentiæ; quantumvis euidenter possimus, ut verè possumus, indicare de eo, esse illud tale, & ea omnia habere de suo intra statum quiditatum præcisè. De quo plura diximus supra locis citatis contra Recentiores quosdam in hoc (nisi ego fallor) deceptos.

300 Sexto infero, licet negatio existentie non possit rei purè possibili esse bona formaliter; quia non est exclusiua per se & formaliter mali, sed potius boni talis rei; posse tamen esse illi bonam causatiuè, quatenus impeditiua alicuius mali, quod talis res subiret, si existeret: ipsique melior, quam existentia opposita, aut absolute bona dicenda veniet, quando defacto maius malum, quam bonum impediuerit tali rei. Quo sensu homini parè possibile, qui de facto damnaretur, si existeret, melius est, non existere, quam existere; siue absolute bonum est non existere, iuxta illud Christi Domini dictum de Iuda Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

301 Septimò denique infero, licet chymæz impossibiles præcisè ratione essentia, & aliorum prædicatorum, quæ ex suo conceptu obiectiuo verè habent intra statum quiditatum, verè intra talem statum bonæ sint, uti explicatum est; adeo tamen eiusmodi bonitatem imminui ab imperfectione impossibilitatis, siue impotentia ad existendum eis essentialiter annexa, ut sumptè reduplicatiue prout impossibiles nullius æstimabilitatis, nulliusque subinde bonitatis censendæ veniant. Quo sensu accipio eos omnes Auctores, qui communiter omnem illis denegant bonitatem. Etenim, cum imperfectio perfectioni, seu bonitati admixta ipsam imminuat iuxta proposit. 59. statutam q. 7. tam magna potest esse imperfectio, ut bonitatem, cui admiscetur prius absorbeat, ita, ut subiectum aliàs bonum per se præcisè, prout eà imperfectione affectum simpliciter euadat non bonum. Talis autem censenda est imperfectio impossibilitatis, siue impotentia ad existendum, atque adeo necessitatis ad non existendum, quam habent subiecta impossibilia. Quemadmodum tanta potest esse malitia, ut ab illa subiecta aliàs per suam naturam præcisè bona simpliciter euadant mala. Qualis censetur esse malitia Demonum iuxta illud Concilij Lateran. in cap. *Firmiter*

de Sum. Trinit. & fide cath. *Diabolus enim, & alij Dæmones à Deo quidem naturè creati sunt boni; sed ipsi per se facti sunt mali.*

QVAESTIO X.

Verum aliqua entia sint mala. Et an omnè malum per solam priuationem boni tantquam per formalem malitiam constituitur. Vel sint aliqua mala in esse talium constituta per quid positium.

Certissimum apud omnes est, non omnia entia mala esse. Cum & ipsi Manichæi, qui aliaqua entia per suam essentiam mala ponebant, multa alia ponerent bona tum per essentiam, tum ab accidentibus adiunctis. Vei reuera sunt in Mundo, prout constat ex se, & ex dictis q. 8.

Certissimum etiam est, aliqua mala in Mundo esse. Id enim communis omnium sensus, & sermo passim præferunt. In Scripturæque sæpe sæpius supponitur, ac prædicatur. Ecclesiasticus 11. *Bona, & mala, vita & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* Et cap. 39. *Bona, & mala in hominibus sentabit.* Isaia 5. *Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Matth. 6. *Sed libera nos à malo, &c.* Huiusmodi autem mala concretè sumpta esse aliqua realia entia mala denominata non minus est certum. Nam alioquin ea essent nihil; subindeque contra dicta in Mundo non essent. Difficultas ergo, quæ superest examinanda in præsentia est, per quid eiusmodi mala constituantur, in quo ve consistat malitia, à qua eiusmodi entia mala denominentur.

Reiecto iam q. 8. Manichæorum, aliorumque hæreticorum errore, qui, ut vidimus ibi, res quasdam ponebant suã naturã, perque suam essentiam malas. Communissima sententia est, omne omnino malum pro formali, siue malitiam, à qua vnumquodque denominatur malum, neutiquam quid positium, sed puram priuationem debitæ bonitatis esse. Ita sentire videntur communiter Patres, quorum plurimos referunt Scot. disp. 11. Metaph. sect. 1. Vaz. 1. 2. disp. 95. cap. 4. & 11. Valent. tom. 2. disp. 2. q. 13. pun. 5. & disp. 6. q. 1. pun. 1. Perau. tom. 1. Theolog. dogm. lib. 6. cap. 4. & alij. Potissimum verò August. innumeris pene in locis suorum operum disputans contra Manichæos. Atque in eadem sententiã sunt per multi Scholastici cum Magistro in 2. dist. 34. & 35. & cum 8. Th. 1. p. q. 48. & 49. & 1. 2. q. 54. 71. & 72. & lib. 3. contra Gent. cap. 7. 8. & 9. & q. 1. de malo, sæpeque aliàs.

Non desunt tamen multi, & graues Doctores, qui censent, aliqua mala cuiusvis generis non per priuationem bonitatis debitæ, sed per quidpiam positium euadere siue constitui talia. Sic tenent Petr. Hurt. disp. 7. Metaph. sect. 6. Arriag. disp. 7. de Anim. sect. 1. subsect. 1. Ouedo contr. 3. Metaph. pun. 5. Lessi. de Perfect. diuin. lib. 13. cap. 26. & alij. Et agentes speciatim de peccatis commissionis, quæ è genere sunt malorum moralium, ea per quid positium in esse talium constitui, docent Angles in 2. dist. 35. q. 1. cum Scoto, Tartareto, & alijs, Lessi. vbi supra. Ioan. de Roa lib. 2. de Prædest. q. 4. Anton. Perez Certam. 8. Scholast. cap. 1. Caiet. 1. 2. q. 18. art. 5. & quasi, 72. art. 1. Medin. q. 71. art. 6. vbi Zumel disp.

disp. 5. & 7. Vaz. disp. 95. Tann. disp. 2. q. 5. dub. 2. Gasp. Hurr. tract. de peccatis, Arriaga cum pluribus à se relatis tom. 3. disp. 20. sect. 4. Oviedo 1. 2. tract. 4. contr. 5. pun. 7. Requiesen. lib. 3. disp. 22. & alij.

206 Tertia sententia quorundam Recentiorum est, omne malum tum physicum, tum morale consistere formaliter in privatione boni unicuique debiti; omnem tamen huiusmodi privationem, atque adeo omnem malitiam realiter esse indistinctam ab aliquo alio ente bono, ita Martin. de Esparza tom. de Actibus humanis q. 29. Idemque tenentur asserere, quotquot ex vna parte omnem malitiam in privatione boni debiti ponunt, ex alia verò opinantur vniuersaliter, omnem negationem in impedimento aliquo positivo rei negatae consistere. Contra quos nos latè egimus in Pharo Scient. disp. 9. q. 3.

Propositio 1.

207 Ex malis relatis physicis multa sunt, quæ per quid purè positivum reipsà independenter ab omni verà privatione alicuius bonitatis debita constituuntur.

Loquor de malis relatis physicis prout condistinctis à moralibus iuxta diuisionem eorum factam q. 3. Et primum de ijs, quæ talia sunt formaliter prout condistinctis item ab illis, quæ talia sunt tantum causatiuè, iuxta dicta etiam ibi. Huiusmodi autem mala eatenus talia esse subiectis, quibus mala dicuntur, quatenus eis disconuenientia, seu dissentanea sunt ibidem statutum à nobis est ex sententiâ communi: iuxta quam proinde malitia formalis eorum in ipsâ eorundem disconuenientiâ, qua suis subiectis disconuenientia, atque adeo mala dicuntur, consistit citra dubium. Igitur, quod propositio contendit est, multa huiusmodi malorum per quid purè positivum constitui. Sunt namque quædam denominationes semiextrinsecè in rebus purè positivis fundatæ reipsà, & importantes in suo conceptu formali relationem quamdam rationis superposititiuam, iuxta doctrinam generalem de huiusmodi denominationibus traditam in Pharo Scient. disp. 12. q. 3. atque iterum disp. 14. q. 1. sepeque alias: quæ quidem relatio etiam est quid positivum ex conceptu suo.

208 Etenim hoc, quod est, esse dolorem disconuenientem, atque adeo malum animali, in suo conceptu reali dumtaxat includit entitatem positivam ipsius doloris, & entitatem positivam ipsius animalis. Ab istis enim entitatibus præcisè, siue ab vna prout connotate alteram denominatur semiextrinsecè dolor disconueniens, seu malus animalis; quemadmodum ab eisdem præcisè quæuis earum denominatur distincta ab alterâ, dissimilis illi quoad essentiam, & inæqualis quoad perfectionem, &c. Pariterque per suas entitates positivæ præcisè dicuntur mala esse homini error intellectus, tristitia voluntatis, ægrotudo corporis, aliæque huiusmodi affectiones. Et suo modo cuius rei naturali mala etiam dicuntur per suas entitates positivæ præcisè ea omnia accidentia, quæ illi disconuenientia, seu dissentanea sunt, vt calor aquæ, humiditas igni, siccitas plantæ, & similia.

209 Dices, huiusmodi accidentia non per se ipsa mala esse subiectis, sed per privationem, quam

secum ferunt oppositorum accidentium eisdem subiectis bonorum, nempe dolorem per privationem voluptatis, tristitiam per privationem gaudij, calorem per privationem frigoris, &c.

Sed contra primò. Quia iuxta existimationem communem, imo iuxta experientiam satis apertam dolor positivus est, qui animal vexat, & ipsi nocet, ipsique propterea malus est per se, & independenter à privatione voluptatis, quam secum fert. Atque adeo homines dolorem ipsum timemus, auerſamur, & fugimus dictæ privationis voluptatis prorsus immemores: dumque dolore aliquo corripimur, non quidem ad comparandam voluptatem oppositam, sed ad dolorem ipsum propulsandum tanquam per se ipsam nocivum, malumque nobis adhibemus medicamenta. Equis vnquam somniauit, nedum asseruit, horribiles poenas sensuum, quas patiuntur Damnati, non in ipsis cruciatibus, siue doloribus, quos sustinent, sed in privatione dumtaxat voluptatum, quas non habent, consistere? Tantumdemque de tristitia, de errore, de cæterisque commemoratis malis positivis censendum est: de factoque censeat haud dubie existimatio communis, & sensus omnium.

210 Contra secundò. Nam si à privatione voluptatis opposita, & non à se ipso euaderet dolor malus homini, aequè malè se haberet homo cum dolore valde tenui, & remisso, ac cum dolore valde vehemente, & intenso; quod plane est absurdum: quandoquidem aequè sub vtriusque opposita voluptate privatus esset: & iuxta consensum communem mala merè privatiua tunc sunt æqualia, quando bona, quibus privant, aut sunt æqualia, aut eadem. Nec valet, quod dicunt Recentiores citati pro tertiâ sententiâ num. 206. dolorem per privationem à se realiter indistinctam, privare formaliter voluptate opposita, illamque eo maiorem censeri, (tameñ eiusdem semper voluptatis privatio sit), quò dolor est magis intensus, eoque iure magis oppositus, siue magis impeditivus ipsius voluptatis: subiectum enim eò magis remotum esse à formâ, eoque magis priuatum illâ, quò maius, seu magis vrgens est impedimentum, per quod illâ privatur. Hæc, inquam, doctrina non valet. Tum quia falsum est, privationem in impedimento positivo consistere rei, qua privare dicitur; vt constat ex generali doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disp. 9. q. 3. Tum quia, est id verum sit, impedimenta privantia subiectum eodem, vel æquali bono non possunt non esse illi æqualiter mala, si ex eo præcisè sunt illi mala, quòd illud privant tali bono: nam eorum entitativa diversitas in tali hypotesi materialiter, & quasi per accidens se habet, vt satis ex se videtur notum. Et sanè, si ex vi solius decreti Dei priuatur homo voluptate, maiore adhuc, & vrgentiore impedimento erit privatus illâ, quàm si priuatur ex vi dolosis intensissimi oppositi. Et tamen manifestum est, longè peius se habere hominem in casu talis doloris, quàm in casu solius decreti. Qualiter non se haberet profectò, si dolor, & decretum quatenus privatiua talis voluptatis præcisè essent homini mala. Dolor igitur insuper est homini malus quatenus ei positivè disconueniens, quale non est decretum.

211 Contra tertiò. Quia iuxta communem etiam omnium sensum, & experientiam peius est carere voluptate, & simul habere dolorem, quàm carere solum voluptate, non habendo dolorem.

Ergo,

Ergo, præter malum priuatiuum consistens in carentiâ voluptatis prout animali dissentaneâ, aliud est malum positium consistens in dolore prout ipsi insuper animali disconueniente.

213 Contra quartò. Quia sæpe mala positia nulli sunt bonitati opposita, in cuius priuatione possit consistere eorum malitia, vt in multis doloribus corporalibus, aut etiam spiritualibus nullius oppositæ voluptatis impeditiuis cernere est. Interdum etiam bonitas, cui malum positium opponitur, subiecto non est debita; eiusque subince carentia annexa tali malo non est priuatio, sed negatio, atque adeò neque est malitia iuxta sententiam omnium; et in tristitiâ de carentiâ alicuius boni non debiti videre licet. Igitur huiusmodi mala non à priuatione sibi annexâ alicuius bonitatis oppositæ, sed à suâ positia entitate prout subiecto disconueniente per se ipsam euadunt mala.

214 Contra quintò quasi à priori. Quia, vt datur accidentia, quæ per se ipsa, & non per solam priuationem sibi annexam oppositorum, sunt consentanea, siue conuenientia subiecto, atque adeò ei positivè bona, de quo nullum est dubium. Ita etiam proculdubio fatendum est, dari accidentia, quæ per se ipsa, & non per solam priuationem sibi annexam oppositorum, sunt dissentanea siue disconuenientia subiecto, atque adeò ei positivè mala. Nulla enim est excogitabilis ratio, cur illa possibilia sint, hæc verò non item.

215 Contra denique sextò. Quia malum respectiuum vitæ, quod causatiuè tantum est malum, sæpe saepius constituitur in esse talis per quid positium, de quo nullum rationabile dubium potest existere. Constituitur enim in esse talis per ipsam causalitatem seu conuenientiam, qua conuenit, vt existat malum formale, in eius ve existentiam influit. Huiuscemodi autem conuenientiam, seu influxum saepè saepius esse quid positium, est certum, vt vnicuique discurrenti per omnes causas malorum formalium compertum fiet. Igitur malum item respectiuum formale per quid positium sæpe constituitur dicendum est. Quibus iam propositio nostra satis, superque probata est, & amplius confirmabitur ex dicendis.

Propositio 2.

216 Ex malis relatis moralibus multa sunt, quæ per quid positium reipsâ independentè ab omni verâ priuatione alicuius bonitatis debita constituntur.

Mala moralia impræsentiarum appellantur peccata. Quorum alia sunt commissionis; actus nimirum per aliquam legem prohibiti. Alia verò sunt omissionis; carentiæ scilicet actuum per aliquam legem præceptorum. Igitur (quidquid sit de peccatis omissionis) peccata quidem commissionis, quæ multa sunt ex malis relatis moralibus, constitui in esse talium per quid positium, & non per veram priuationem alicuius debita bonitatis, assumptum nostræ propositionis est.

217 Quod probatur. Quia malitia peccati commissionis in eâ dissonantiâ consistit, qua actus positius peccati naturæ rationali peccantis quatenus tali dissonus, seu dissentaneus, seu disconueniens est. Et hæc dissonantia denominatione quædam est semixirinteca; atque adeò relatio quædam rationis supposititia in actu peccati, fundata

in naturâ ipsius actus, & in naturâ rationali, cui dissonat cum suis circumstantijs; quæ omnia positia sunt; prout dictum in simili proposito. 1. de dissonantiâ, siue disconuenientiâ, qua dolor naturæ animali disconueniens, atque adeò malus est. Sed est aduertendum, actum peccati commissionis consideratum quoad substantiam, aut etiam quoad alias à libertate circumstantias materialiter dumtaxat, aut quasi physicè esse dissonum, atque adeò malum naturæ rationali prout tali: consideratum verò quatenus liberum tum quoad entitatem, tum quoad eam suam materialem, aut quasi physicam malitiam iam tum formaliter, siue moraliter esse dissonum, atque adeò malum ipsi naturæ rationali; prout latius alibi suo loco expositum à nobis est. Itaque actus peccati commissionis ab eâ semixirinteca sibi; positiaque denominatione, qua vtrovis dicto modo ipsi peccanti prout rationali dissonus, seu dissentaneus, seu disconueniens denominatur, eadem peccanti malus est vtrovis dicto modo; non verò ab aliquâ verâ priuatione sibi annexâ, siue quam ipsa secum ferat, alicuius debita, oppositæque bonitatis.

Et primùm. Quod actus vitiosus per se ipsum, & non præcisè per priuationem, quam fert secum actus virtuosus contrarij, homini peccanti sit malus, probatur ferme, sicut in simili proposito. 1. Primò. Quia ex terminis ipsis videtur satis, superque notum, actum odij Dei, non præcisè, quia priuat opposito amore, sed per suam ipsam entitatem esse foeditissimum, ac dissonantissimum, atque adeò malum homini. Alioquin homo odio habens Deum, non tam, quia odit, quam, quia non amat Deum ipsum, esset reprehensibilis, & pœna dignus. Quod ex se patet, esse absurdum.

Secundò. Quia, cum priuatio amoris annexa odio semper sit eadem, siue hoc valde intentum sit, siue valde remissum, si ab eâ priuatione præcisè, & non à suâ positia entitate odium malum euaderet, omnia odia seu inrensissima, seu remississima æqualiter prorsus essent mala, nec magis reprehensibilis, maiorique pœna esset dignus, qui Deum odio intentissimo, quam, qui remississimo, prosequeretur. Quod planè plûs, quam absurdum est apud omnes. Id autem, quod ad illud vitandum respondent Aduersarij, satis in simili est refutum n. 211.

Tertio. Quia carere amore Dei aut non est malum, aut longè minus malum est, quam habere odium Dei, vt constat. Ergo malitia odij Dei non in priuatione amoris annexâ odio, sed in ipsâ positia entitate odij sita reipsâ.

Quartò. Nam, quicumque odio habet Deum, nullam habet, saltem plerumque, obligationem, quo tempore elicit actum odij, ad eliciendum actum amoris oppositum. Qui subinde pro tunc non est debitus, atque adeò carentiæ eius pro tunc non est priuatio, sed negatio; & consequenter neque est mala. Igitur actus odij elicitus nullam malitiam potest pro tunc à carentiâ amoris fortiori, totamque proinde malitiam, quam habet, à suâ entitate positia prout operanti dissona habet.

Quintò. Nam actus amoris Dei non à carentiâ actus oppositi odij præcisè, sed à suâ positia entitate enadit operanti conueniens, seu conueniens, atque adeò bonus in genere moris, vt est certissimum. Igitur actus odij Dei non à carentiâ actus oppositi amoris præcisè, sed

sed à sua potissimum positivâ entitate euadit operanti dissonus, seu disconueniens, atque adeo malus etiam in genere moris. Haud enim vlla congrua ratio excogitari potest, cur dentur actus per se positivè consoni, seu conuenientes, atque adeo boni operanti; & non dentur pariter actus per se positivè dissoni, seu disconuenientes, atque adeo mali eidem.

223 Sexto. Quia actus odij Dei per se ipsum est positivè iniurius Deo independentè à carentiâ amoris oppositi, vt est manifestum. Ergo per se ipsum est positivè rationi dissonus, atque adeo malus independentè similiter à tali carentiâ. Negari siquidem non potest, per se ipsam esse rationi dissonam, atque adeo malam iniuriam Dei. Quæ eumque autem dicta sunt hæcenus de odio Dei, pariter de quibusvis alijs peccatis commissionis intelligendum, & illis applicandum est.

224 Septimo denique probatur id ipsum. Quia peccantes peccato quodis commissionis plerumque sunt prorsus immemores, dum peccant; carentiâ virtutis oppositæ, dumtaxatque subinde concipiunt vt sibi dissonum per se ipsum, atque adeo positivè actum, quem exequuntur. Igitur hæc sola ipsius actus dissonantia est illis libera, & imputabilis, atque adeo moralis; suumque proinde peccatum quatenus tale nihil priuationis inuoluit, sed purè positivum est. Et quidem, posse eos saltem, qui nostram opinionem sequuntur, concipere suum actum malum positivè malum præcisè, nihil omnino cogitando, dum illum exequuntur, de priuatione annexâ ipsi cuiusvis bonitatis oppositæ, indubitabile est. Quo casu, cum sola malitia concepta in actu ab operante sit ipsi libera, & imputabilis, atque adeo moralis, vt est certissimum, à solâ malitiâ positivâ absque vlla priuationis mixturâ euadere eiusmodi actus moraliter malus.

225 Per hæc argumenta manet probatum contra plerosque ex Aduersarijs, malitiam peccati commissionis nequaquam consistere in priuatione actui peccati annexâ alicuius bonitatis ipsi operanti debitæ. Restat probandum contra reliquos, neque consistere in priuatione actui peccati annexâ alicuius bonitatis debitæ ipsi actui.

226 Quod sanè facilius adhuc, & efficacius venit probandum primo. Quia repugnat, esse debitam actui peccati bonitatem, cuius carentiâ ipsi actui annexa est. Talis namque bonitas, vt pote tali actui opposita, ipsi est impossibilis; & nulli enti debitum esse potest id, quod ipsi impossibile est iuxta proposit. 12. statutum q. 7. Sic actui odij Dei, & vniuersim cuius actui vitioso nullatenus est debita bonitas virtutis oppositæ; eaque proinde non est priuatus, sed prorsus negatus. Vnde per illius priuationem nequaquam potest ille malus euadere, vt prætendebant Aduersarij.

227 Dicunt nonnulli, licet actui vitioso considerato secundum conceptum specificum non sit debita bonitas virtutis oppositæ, esse tamen debitam illi considerato secundum conceptum genericum ipsi, & actui virtuoso communem; idque sufficere, vt actus vitiosus tali bonitate priuatus esse dicatur, ab eiusque subinde priuatione malus euadat. Contra tamen est primo. Quia, cum eiusmodi conceptus præcisè sumptus ad virtutem, & ad vitium, & consequenter ad bonitatem prioris, & ad malitiam posterioris indifferens sit, nequaquam bonitas virtutis potest illi præcisè sumpto debita esse. Multo ergo minus poterit esse debita illi prout iam contracto ad vitium.

Imo verò per coniunctionem cum differentiâ vitij amitteret prorsus ius ad bonitatem virtutis; tamen illud antecedenter in statu præcisionis haberet. Secundo. Quia, licet dicto conceptui generico etiam contracto iam ad vitium bonitas virtutis debita esset, vt pote non repugnans illi considerato secundum se: at ipsi integro vitio, cui prorsus repugnat, nequaquam potest esse debita. Nullo ergo modo carentia talis bonitatis potest comparatione actus vitiosi dici priuatio, vt ab eâ, & non à se ipso prout rationi dissono dicatur euadere malus in genere moris.

228 Id quod secundo iam venit aliter comprobandum. Quia nimirum carentia, qua actus vitiosus bonitate virtutis oppositæ carere dicitur, non vera, & realis, sed merè supposititia carentia est: cum sit carentia identitatis ipsius cum dictâ bonitate; & omnis carentia identitatis extremorum distinctorum realiter merè supposititia sit ex nostro modo concipiendi, fundata quoad verificationem in solis positivis entitatibus ipsorum extremorum, iuxta doctrinam vniuersalem, traditam in Pharo Scient. disp. 10. q. 4. & alibi. Vnde patet, actum vitiosum nequaquam posse malum euadere per veram aliquam carentiam, nedum per veram priuationem bonitatis, quam non habet, virtutis oppositæ.

Propositio 3.

229 Multa entia euadunt in se absolutè, & positivè mala ab alijs sibi accidentibus, & adiunctis, quæ respectivè, & positivè sunt mala ipsis.

Hæc propositio suppositis duabus præcedentibus, indubitata est. Nam, vt constat ex proposit. 3. statuta q. 7. quidquid alicui subiecto formaliter, & respectivè est malum, ipsum subiectum reddit in se absolutè malum. Sed iuxta duas propositiones præcedentes multa per suas positivas entitates, atque adeo positivè subiectis suis sunt formaliter, & respectivè mala. Ergo huiusmodi subiecta non possunt non euadere ab illis in se absolutè, atque etiam positivè mala. Sic homo à suis peccatis positivis positivè euadit in se malus homo; & animal à suis positivis moribus positivè euadit in se malum animal; & quoduis ens à quibusvis suis accidentibus positivis formaliter sibi disconuenientibus positivè euadit in se malum ens. Itaque, licet omne ens per essentialitatem suam necessariò sit in se positivè bonum bonitate sibi essentiali, vt contra Manichæos, & alios hæreticos est statutum q. 8. hoc non tollit, quominus multa entia per accidentia sibi adiuncta contingenter euadant in se positivè mala malitiâ sibi accidentali.

230 Restat, vt respondeamus ad argumenta, quæ contra tres propositiones in hac q. stabilitas posita sunt opponi. Quorum primum, potissimumque desumitur ex auctoritate Sanctorum Patrum, qui vbiunque de malitiâ quorumlibet malorum agunt, communiter docent, eam non in re aliqua, sed in alicuius rei corruptione, siue priuatione consistere: omneque malum subinde non ab entitate aliqua, sed à defectu potius alicuius entitatis, siue alicuius bonitatis euadere tale. Cæterum, vt appareat, doctrinam nostram nequaquam esse contra mentem Sanctorum Patrum, duo notanda sunt.

Primum est, duplex esse genus malorum. 231
O o o Alia

Alia namque sunt purè mala absque mixtione bonitatis, qualia censebant Manichæi, & alij hæretici esse naturâ suâ aliqua entia producta à secundo Deo, quem confingebant malum in se, & Principium primum malorum. Sed falsebantur. Quia, cum omnia entia sint necessariò suâ naturâ bona, vt contra ipsos statimus q.8. dumtaxat esse possunt purè mala non entia, carentiæ videlicet aliquæ, seu priuationes entium. Alia sunt mala non pura, sed mixta bonitate; nimirum ea entia, quæ vel ab aliquo accidente sibi dissono euadunt mala in se accidentaliter, & absolutè; vel alijs entibus sunt respectiue mala, quatenus ipsis dissona sunt, siue disconuenientia. Quæ omnia nihilominus & in se, & sibi bona sunt bonitate essentiali, prout in eadem q.8. expositum est. Et quæ ab aliquibus accidentibus sibi dissonis euadunt mala in se accidentaliter, ab alijs sibi consonis simul euadunt etiam in se accidentaliter bona. Tum quæ aliquibus alijs entibus, quibus disconueniunt, sunt mala, simul aliquibus alijs, quibus conueniunt, bona sunt.

332 Secundum est, ea mala respectiua, à quibus subiecta, quibus sunt talia, mala in se, redduntur, communiter solere à nobis concipi per conceptus negatiuos, siue illa positiua sint, siue negatiua re ipsâ: ob id enim illa talium subiectorum imperfectiones, siue defectus solemus communiter appellare, subiectaque ipsa ratione illorum in se defectiuosa, siue imperfecta. Quippe familiare est nostro intellectui pro statu præsentis multa, quæ in se sunt positiua, per conceptus negatiuos oppositorum exprimere; sic enim indistincta dicimus, quæ sunt identificata, incorporata, quæ sunt spiritualia; inæqualia, quorum vnum est maius altero, &c. Sicuti etiam vice versa per conceptus positiuos, quæ in se sunt negatiua: quo pacto carentiam lucis vocamus tenebras; carentiam visus cæcitatem; carentiam diuitiarum paupertatem, &c. Ex quo patet, quoties per conceptus negatiuos exprimimus id, quod in se positiuum est, eam negationem, aut priuationem, quam talis conceptus præ se fert, non veram, sed rationis dumtaxat esse, iuxta doctrinam vniuersalem traditam in Pharo Scient. disp. 12. q. 1. Et consequenter non veram, sed rationis dumtaxat esse eam priuationem, quam conceptus negatiuus mali præ se fert, quando tale malum re ipsâ est quidpiam merè positiuum, quale sæpe est, vt ostendimus.

333 His prænotatis, facilè est in sensu legitimo interpretari omnia testimonia Sanctorum Patrum, quæ contra sententiam nostram possunt, solentque opponi. Quoties enim Patres attendentes (vt plerumque attendunt) ad confirmandam veritatem catholicam de bonitate essentiali omnium entium contra errorem Manichæorum, & aliorum hæreticorum per solam priuationem boni constituunt malum, de malo vtique, quod purè malum est, censendi sunt loqui, ad mentem scilicet ipsorum hæreticorum; vt optimè notaui Lessius loco supra citato. Si quando verò de omni malo etiam mixto respicientes aliò expressè loquuntur, de eo sumpto formaliter, prout per conceptum priuatiuum communiter concipi solet, intelligendi sunt. Quo casu priuatio constitutiua talis conceptus rationis tantum erit respectu malorum, quæ re ipsâ sunt positiua; tamen si sit vera respectu aliorum, quæ priuatiua re ipsâ sunt. Vnde veniet deprehendendum, neutiquam Patres per ea, quæ dicunt, nostræ sententiæ re-

fragari. Quæ etiam ratione non pauci ex Scholasticis, qui contra nos stare videntur, exponi poterunt.

Secundum argumentum contra propositiones nostras ex Recentioribus citatis n. 206. breuius tamen, quàm ab illis, sic potest formari. Cui nullum deficit bonum debitum, nullum patitur malum. Ergo omne malum in defectu sit boni debiti. At omnis defectus boni debiti quid priuatiuum est; quia quodlibet bonum debitum est quid positiuum; cum sit de conceptu boni in genere conuerti cum ente. Igitur omne malum est quid priuatiuum; hoc est, constitutum formaliter per defectum, seu priuationem boni debiti. Respondeo concedendo, omne malum respectiuum defectum esse boni debiti, quatenus quoduis ex extremis contradictorijs dicitur defectus alterius; negando tamen, omne defectum boni debiti esse quid priuatiuum, & omne bonum debitum quid positiuum. Mala siquidem positiua, quæ in hac quæstione aduimus defectus positiui sunt suarum carentiarum, quæ bona quædam sunt priuatiua, seu negatiua iuxta dicta q.9. proposit. 2. Vnde patet, non omne bonum conuerti cum ente, sed tantum bonum transcendentale, quod est entis essentiali, iuxta dicta q.8.

Tertiò contra doctrinam nostram arguitur. Malorum moralium, qualia sunt peccata, non potest Deus causa esse. Sed nequit non esse Deus causa omnium entium positiuorum. Igitur huiusmodi mala in aliquo positiuo nequeunt consistere formaliter. Respondeo, Deum concurrere quidem ad entitatem physicam actus peccaminosi; non tamen prout ille exit à creaturâ, quo solum pacto malus est, sed tantum prout exit ab ipso Deo, quæ ratione prorsus est bonus: insuperque ad ipsum vt sic concurrere Deum non à se, sed à creaturâ ipsâ determinatum immediatè. Quo fit, vt Deus, ad entitatem physicam actus peccati concurrente, nullatenus ad eius malitiam concurrat, nullatenusque subinde sit causa peccati, prout peccatum, & malum est. Et sanè, quicumque cum actu peccati malitiam eius adæquate identificat, quantumuis eam priuationem appellat, longè difficilius, quàm nos, se expediet ab hoc argumento. De quo in tract. de Peccatis, & sæpe aliàs plura dicuntur.

QVÆSTIO XI.

Verum aliqua non entia. Et quam. Et qualiter mala sint.

Supposita diuisione non entis in negationem, & chymæram tradita q.9. principio sit.

Propositio 1.

Omnis priuatio boni debiti subiecto priuato mala est respectiue.

Hæc propositio certa est apud omnes. Constatque ex dictis q.7. proposit. 8. & 9.

Ex eaque sequitur iuxta dicta ibidem proposit. 3. quoduis subiectum priuatum bono quodlibet sibi debito ab eiusmodi priuatione euadere in se absolutè malum.

Pro:

Propositio 2.

239 Nulla negatio boni non debiri subiecto, cui conuenit, est mala respectiue, & formaliter,

Ad id formaliter, quia causatiue fortasse erit illi aliquando aliquo modo mala, Ratio autem propositionis est. Quia carere bono sibi non debito non est subiecto dissonum, seu disconueniens positiuè, prout ad malum respectiuum requiritur; quamuis sit non consonum, seu non conueniens negatiue à defectu consonantiæ, seu conuenientiæ boni negati. Quo titulo eiusmodi negationes imperfectiones negatiue subiectorum dicuntur, prout est notatum à nobis supra q. 4. In his etiam conueniunt omnes subiecto,

240 Quod autem nulla negatio mali subiecto, cui conuenit, sit mala, cum potius omnis sit illi bona, ex se, & ex demonstratis q. 7. competum est. Quia semper est unicuique bonum carere, quous sibi malo iuxta ibi dicta proponit. 4. Nec potest idem eidem malum simul, & bonum esse, prout dictum ibidem proponit.

Propositio 3.

241 Negatio entis non existentis ipsi enti secundum suam essentiam præcisam ab existentia consideratum mala non est.

Quia non est ipsi, ut sic indebita, prout opus erat, ut ipsi esset mala iuxta proponit. 5. statutam q. 7. Cum ipsi ut sic non sit debitum contradictorium eius, nempe existentia eiusdem entis; quale contradictorium indebiti necessario esse debet iuxta definitiones statutas q. 5. Enti quippe non existentem secundum suam essentiam præcisè considerato neque existentia est debita, neque aliud quidpiam, prout in eadem q. 5. n. 47. dicebamus.

Propositio 4.

242 Enti existentem prout existentem ipsius destructio, siue desitio, siue negatio pro tempore subsequente quodammodo mala est, quodammodo secus.

Ita compono duas sententias oppositas, alteram affirmantem, & alteram negantem apud Suarez. disp. 11. Metaph. sect. 3. n. 9. enti existentem malam esse eiusmodi ipsius destructionem, seu negationem. Etenim, supposito, quod ens hodie existit, perseverantia existentem pro tempore subsequente non solum est ipsi disconueniens, sed etiam indebita: tum hæc negatio tali enti non minus odibilis est, quam illa perseverantia amabilis. Igitur & illa perseverantia bona, & hæc negatio mala tali enti dicenda est. Cum hoc tamen discrimine, quod per illam perseverantiam subiecto, cui est illa bona, non destruitur, sed perficitur, in seque subinde redditur absolute bonum; per illam verò negationem subiectum, cui mala est, non tam vitiat, quam destruitur; sicque nihil restat, quod per illam reddatur in se absolute malum. Vnde illa perseue-

rantia tali subiecto bona est, uti alia bona perfectiua. Cum tamen negatio ista, tali subiecto non sit mala, uti alia mala vitiativa. Est enim dumtaxat mala tali subiecto quatenus titulo destructiue eius indebitè ipsi disconueniens est, & odibilis; quin possit, dum adest, reddere illud malum, & odibile in se absolute ob necessarium ipsius defectum. Alia verò mala vitiativa & sunt disconuenientia titulis alijs, atque adeò mala, odibilia, que suo subiecto, & ipsum, dum adsunt, in se absolute malum, atque odibile reddunt. Ex quibus patet, quæ ratione enti existentem negatio destructiua eius quodammodo mala sit, quodammodo secus, ut propositio nostra fert.

243 Ex qua infero primò, maiorum respectiuorum formalium (nam de merè causatiuis non loquimur) duo generasse. Aliud enim est malum respectiuum non constitutum mali absolute; eo quod, dum adest, necessario deest subiectum, quod per illud ut sibi respectiue malum erat vitandum, reddendamque malum in se absolute; & talis est comparatiue rei existentis ipsius negatio subsequens. Aliud est malum respectiuum subiectum, cui malum est, vitians, & reddens absolute malum, sicque malum absolutum constituit; & talia sunt comparatiue subiectorum creatorum cetera ipsorum mala respectiua, & formalia, quæ simul cum ipsis existunt. Et de huiusmodi malis tum absolutis, tum respectiuis constitutis absolutum loquuntur potissimum S. August. & S. Th. in Enchiridio cap. 12. & 13. sæpeque alibi, hic 1. p. q. 48. art. 3. & 4. aliisque in locis; ubi dicunt, mala sine bonis stare non posse; deficientemque omni naturâ bonâ, quæ sit subiectum mali, aut malitiæ, omne malum necessario deficere. Quamquam hæc locutiones, & ad mala respectiua prioris generis suo modo possunt extendi; quatenus neque illa possunt existere, non existentibus in aliquo tempore anteriore subiectis bonis, quibus ea sunt mala; tamen simul cum talibus subiectis nequeant existere in eodem tempore.

244 Vnde secundò sequitur inferendum, negationem entis existentis non esse ipsi malam pro tempore antecedente existentiam eius. Nam, licet tam pro antecedente, quam pro subsequente tempore talis existentem sit exclusiua, attamen pro tempore antecedente non est indebita, prout ad rationem mali requiritur, uti est pro tempore subsequente. Quoniam ante quam ens existat, nihil adest, in quo fundetur aut debitum existentem eius, aut indebitum non existentem. At cum primum factum existens est, continuatio existentem acceptæ debetur ipsi pro tempore subsequente; & consequenter non existentem pro tali tempore indebita iam ipsi, iamque promissa mala est.

245 Tertio ex dictis inferendum, seu potius adnotandum obiter est, præter malum respectiuum non constitutum mali absolute ob defectum subiecti, esse aliud malum respectiuum non constitutum mali absolute ob incapacitatem subiecti; nimirum quodlibet, quod malum est respectiuum comparatiue Dei, ut est quæuis iniuria, aut offensa ipsi irrogata à creaturis rationalibus. Deus quippe omnino est incapax, qui vitietur per aliquod sibi accessorium malum, quacunque demum ratione sit illud malum ipsi, & odibile. Vti incapax est, qui perficiatur per aliquod sibi accessorium bonum, quacunque demum ratione sit illud bonum ipsi, & amabile; ut pluribus exponemus infra disp. 16.

Propositio 5.

246 Nulla negatio entis est mala in se absolute aut per essentiam, aut per aliud sibi accessorium.

Per essentiam quidem: tum quia nullum est possibile malum absolutum, & per essentiam iuxta dicta q. 8. tum quia nulla negatio habet essentiam iuxta dicta q. 9. Per aliud autem sibi accessorium; tum quia non habenti essentiam, uti nulla negatio habet, nihil accessorium potest sic esse disconueniens, ut illud vitiet, & reddat absolute malum: tum quia per nihil sibi accessorium potest vitari, & reddi malum, quod per essentiam non est bonum, (qualis nulla negatio est iuxta dicta q. 9.) salis daretur absolutum malum absque omni bono contra dicta ex S. August. & S. Th. proposit. 4. tum denique quia fœditas in qua consistit malitia absoluta iuxta dicta q. 1. sine subiecto positivo, qualis nulla negatio est, consistere nequit, ut ex se patet. Hæc de negationibus, venio ad chymæras.

Propositio 6.

347 Chymæra illæ, quæ solum per species alienas sunt conceptibiles, nullam malitiam habent in se aut absolutam, aut respectivam.

Quia nullam veritatem obiectivam habent in se, sine qua nulla malitia vera potest consistere; ut constat ex se, & ex dictis in simili q. 9. proposit. 3.

Propositio 7.

348 Chymæra illæ, quæ etiam per species proprias sunt conceptibiles, quemadmodum bonæ, ita & malæ tum absolute, tum respectivè possunt esse intra suum statum quiditativum.

Hæc propositio per doctrinam datam in simili quæst. 9. proposit. 4. mutatis mutandis, venit consequenter probanda. Quod, quia facile ab ynoquoque, illa applicata, præstari potest, ego ad reliqua pergo.

349 Hic tractant multi de causis malorum. Quam tractationem, quod multa supponat præcognita de naturâ, & varietate causarum, effectuumque, qui circa mala versari possunt, ego ad opportuniorum locum remittendam decrevi. Interim videri inter alios potest Petau. de hoc argumento differens latè, & crudité lib. 6. Thol. dogm. cap. 5. & 6.



DISPUTATIO XVI.

De Bonitate ipsâ, & Perfectione Dei in speciali.

Postquam de Bonitate & Perfectione rerum in universum differimus in præcedente dispu-

tarione, promptum est iam; ut in præsentè de Bonitate, & Perfectione Dei in speciali differamus.

QVAESTIO I.

Veram Deum sit bonus.

Quæquam de bonitate Dei, suppositâ eius existentia, nullum dubium subesse possit. Nam; cum Deo nihil melius excogitari queat, id quo melius nihil est, bonum esse, quis dubitat? ut bene Boet. lib. 3. de Consolat. prof. 10. Ordo tamen doctrinæ postulat, ut illius certitudinem, & evidentiam in hac q. statuamus.

Propositio 1.

Certum secundum fidem est, Deum esse bonum.

Id enim testantur passim sacræ Scripturæ. Iudith. 13. *Confitemini illi omnes; quoniam bonus.* Psal. 105. 106. 107. & 135. *Confitemini Domino; quoniam bonus.* Et 118: *Bonus es tu, & in bonitate tuâ.* Et 134. *Laudate Dominum, quia bonus Dominus.* Saepèque alias. Ieremix 33. *Quoniam bonus Dominus.* Nahum. 1. *Bonus Dominus.* Matth. 19. *Vnus est bonus Deus.* Marci 10. & Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Alibique sæpissimè. Supponuntque communiter sacræ Ecclesiæ Concilia, quin opus fuerit, articulum hunc expressâ definitione contra aliquem ipsi contradicentem firmare. Nam ut bene Synesius orat. de Regno pag. 9. *Borum Deum utique prædicant omnes ubiuis terrarum populi tam sapientes, quàm imperiti; idque uniuersi mutuo consensu, atque una voce profiterentur; licet, quod ad alia pertinet, varijs de Deo sententijs discrepent.*

Per loca autem sacræ Scripturæ commemorata, quibus Deus absolute dicitur bonus, bonitas absoluta, quæ Deus in se absolute est bonus, imprimis adstruitur; & consequenter bonitas respectiva, quæ Deus bonus est sibi ipsi. Si quidem duæ illæ cuiusvis entis bonitates, ratione nostrâ dumtaxat distinctæ inter se, omnino inseparabiles sunt iuxta dicta disp. 15. q. 1. n. 11. atque etiam q. 7. proposit. 3. Sunt tamen & alia loca Scripturæ, quibus Deus bonus insuper prædicatur suis creaturis, ut ille Psal. 72. *Quam bonus Israel Deus is, qui recto sunt corde.* Et similia. Quæ verò ratione Deus suis creaturis bonus sit, inferius explicabitur.

Propositio 2.

Euidens secundum rationem naturalem est, Deum esse bonum tum in se absolute, tum sibi ipsi respectivè.

Id namque est manifestum primò; quia iuxta demonstrationem factam disp. 15. q. 7. proposit. 37. non potest non quodlibet ens per suam essentiam esse bonum in se absolute, atque ad se & sibi respectivè. Igitur Deus vel titulo entis præcisè non potest non & in se absolute, & sibi respectivè esse bonus per suam essentiam.

Secundò ex prædicato entis à se, quod Deus

Deus habet, prout est demonstratum disp. I. euidenter inferitur, Deum & sibi, & in se bonum esse. Quid enim euidentiùs, quàm esse bonum habenti, ipsumque proinde reddere bonum hoc, quod est, habere esse à se ipso independentem ab omni alio?

6 Tertiò ex omnibus alijs Dei attributis tum in præcedentibus demonstratis, tum in sequentibus demonstrandis vtraque dicta bonitas Dei euidentiùs colligitur. Cum euidentiùs sit, esse Deo bonam necessitatem in existendo; independentiam omnimodam ab omni alio, & plenam sufficientiam sui; aternitatem; immensitatem; simplicitatem; vnitatem; sapientiam; omnipotentiam, &c. atque in his omnibus infinitatem. Rursusque euidentiùs sit, non posse non Deum per tot, tantaque bona sibi secum ipso identificata euadere, siue esse bonum in se, iuxta doctrinam generalem statutam disp. 15. q. 7. proposit. 3.

7 Quarta vtraque Dei prædicta bonitas cum euidentiâ inferitur specialiter ex prædicato, quod ille habet causâ primâ, fontalique cæterorum entium principij: prout etiam demonstratum est disp. 1. Cum sit manifestum, non posse non esse in se, atque adeo etiam sibi bonum id, quod est causâ primâ, fontalique principium cæterorum omnium bonorum: sitque statutum, & demonstratum disp. 15. q. 8. cætera omnia entia & in se, & sibi per suas essentias necessariò esse bona. Atque hæc satis, superque modò sint in re certissima, amplius, & amplius nihilominus ex dicendis in sequentibus demonstrandâ.

QVAESTIO II.

Virum Deus sit perfectus. Et quibus perfectionibus.

8 Suppono primò ex dictis disp. 15. q. 3. perfectum strictè sumptum esse id, quod est integrum quoad bonitatem sibi debitam; latius tamen vsurpari etiam pro quolibet bono absoluto. Perfectionem verò; tametsi sit ea, loquendo propriè, forma perfecti seu stricti, seu lati; communis solere vsurpari pro quolibet bono relato, siue pro qualibet bonitate perficiente quavis ratione subiectum, siue ens, cui inest, siue cui conuenit. Quo pacto in præsentî q. sicut & aliàs sæpe, vsurpatur. Imperfectum autem, siue non perfectum pro opposito vtrius perfecti potest, & solet sumi. Quemadmodum etiam imperfectio pro opposito perfectioni quouis ex dictis modis accepta sumenda venit. Communiter tamen solum sumitur pro opposito perfectioni acceptæ pro bono relato perfectiuo. Quo pacto sumpta est duplex; altera imperfectio positua, quæ est malitia relatâ; altera imperfectio negatiua, quæ non est malitia, vt latius supra exposuimus disp. 15. q. 4.

9 Suppono secundò, quatuor imprimis modis (quod ad rem attinet, physicè scilicet, & identicè) solere dici aliquam perfectionem inesse alicui enti. Primò formaliter, hoc est, secundum formalem suum conceptum, vt inest Deo omnipotentia, homini rationalitas, & animalitas, Angelo spiritualitas, &c. Secundò virtualiter, vt inest quilibet effectus in sua causâ efficienti. Ter-

tiò æquialenter, vt inest quilibet in quolibet sibi æquialenti in ordine ad aliquod munus, velut in animâ hominis forma plantæ in ordine ad vegetandum, & forma bruti in ordine ad sentiendum, & in vno aureo plures monetæ inferiores in ordine ad emendum; pariterque in alijs huiusmodi. Quarto denique eminenter, quando id, quod in se continet aliud siue virtualiter, siue æquialenter, ipso contento præstantius, siue perfectius est. Itaque contineri aliquid in aliquo eminenter supra contineri virtualiter, aut æquialenter solum addit excessum continentis comparatione contenti iuxta communem acceptionem.

10 Est tamen hic supponendum tertiò, effectus in sua causâ adæquatâ, qualis sola causâ primâ, nimirum Deus opt. max. esse potest, infinite sublimiori modo contineri eminenter, quàm continenter in suis causis inadæquatis, quales necessariò sunt omnes secundæ, scilicet creaturæ. Deus quippe tali eminentiâ continet in se totam perfectionem suorum effectuum, atque adeo suarum omnium creaturarum, vt tam perfectus sit per se solus, quàm coniunctus cum illis; prout supra disp. 1. q. 7. n. 146. statumus. Cum tamen causâ secundâ per coniunctionem cum suis effectibus sæpe perfectiores euadant; semperque coniunctum ex illis, & ex effectibus perfectius sit, quàm ipsæ solæ. Vt enim arguebamus ibi, si causâ primâ, à qua tanquam à suo fontali, & adæquato principio exeunt omnes effectus, non præcontineret in se totam eorum perfectionem ita eminenter, vt tam perfecta esset se sola, quàm coniuncta cum illis; fieret vtique, vt illis daret, quod non haberet, & ditaretur donatione, rerumque subinde vniuersitas per bonum necunde asportatum, sed veluti ex nihilo pullulans ditior euaderet. Quæ planè absurda sunt. Etenim, si coniunctum ex causâ primâ, & suis effectibus perfectius, æstimabiliusque esset, quàm causâ primâ sola, excessus ille perfectionis, & oriretur ex causâ primâ, vt ponitur, & ex ipsâ oriri non posset; quia in ipsâ non erat præcontentum. Tum & daretur effectibus à causâ primâ, & eis ab eâ, vt pote non præhabente illud, dari non posset. Tum causâ primâ dando effectibus, quod non haberet, sibi, vniuersatatiue rerum aliquid necunde comparatum, acquireret. Quæ omnia implicatoria sunt. Itaque de conceptu causæ primæ, præ causis omnibus secundis, est, istiusmodi mentis genere præhabere, continere, retinereque in se totam omnino perfectionem, quam dat formaliter suis effectibus; adeò, vt producere talem causam tales effectus bonos, non tam sit nouam bonitatem, siue perfectionem eis dare, quàm sub nouo quodam essendi modo extendere ad illos formaliter eandem, quam in se præhabet, retinetque eminenter. Qui est proprius modus, quem summa Dei bonitas habet diffundendi se ipsam, seque ipsam creaturis communicandi, iuxta doctrinam D. Dionysij, & aliorum Patrum, communemque Theologorum expliationem. De quo plura dicenda venient q. 4. His positis, & cæteris, quæ statuta relinquinus disp. 15. lit.

Propositio I.

Certum secundum fidem est, Deum esse perfectum.

Id namque imprimis tradidit nobis expressè Christus Dominus, cum dixit Matthei 5. *Esote ergo*

ergo vos perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est. Quæ verba exponens Concilium Lateranense, pro vt habetur in cap. Damnamus de Sum. Trinit. & fide cath. iunxit, *Ac si diceret manifestius & esse perfecti perfectione gratia, sicut Pater vester celestis perfectus est perfectione natura & utraque videlicet suo modo.* Deinde idem ipsum contendantur omnia Scripturæ loca quæ præced. commemorata, quæ Deum absolute prædicant bonum, quatenus id solum, simpliciter, & absolute loquendo, bonum vocari solet, quod nullum in suo genere defectum habet; atque adeo in suo genere perfectum est. Vnde potiore iure comprobant eandem veritatem ea Scripturæ testimonia, quæ Deum esse summum bonum, ostendunt prout videbimus q. seq. Iam verò, in propositionem datam omnes Patres, atque Theologos vnanimiter conspirare, adeo perspicuum est, vt nullum eorum opus sit singillatim referre.

Propositio 2.

12 Euidens secundum rationem naturalem est, Deum esse perfectum.

Loquendo enim de perfecto sumpto strictè pro integro quoad bonitatem sibi debitam, id primò demonstrandum venit ex prædicato causæ primæ bonorum omnium contingentium, quod Deus habet. Eius enim titulo per nullum bonum sibi contingens potest reddi melior, quàm sine illo est; eo quòd totam omnium bonitatem, seu perfectionem præcontinet in se eminenter iuxta argumentum nuper factum suppositione tertiâ. Vnde patet, nullum bonum contingens posse esse debitum Deo tanquam quid pertinens ad ipsius strictam perfectionem; per nulliusque subinde defectum posse desinere Deum esse perfectum strictè. Ex quo manifestè consequitur, à solis bonis necessarijs, quæ Deo deficere non possunt, euadere ipsum strictè perfectum atque adeo ipsum non posse non esse talem, talemque proinde esse defacto. Quod erat demonstrandum.

13 Secundò demonstratur id ipsum ex prædicato, quod Deus habet infiniti quoad bonitatem, seu perfectionem à nobis supra demonstrato disp. 14. q. 2. Huiusmodi enim infinitudo, vt per sibi dicta innotebit, euidenter fert secum, habere Deum omnem perfectionem sibi possibilem. Hinc autem manifestè consequitur, habere Deum omnem perfectionem sibi debitam: quia solæ perfectiones Deo possibile sunt esse debita ipsi: cum nequeat esse debitum ipsi quidquam ipsi impossibile iuxta proposit. 11. statutam disp. 15. q. 7. Habere autem Deum omnem perfectionem sibi debitam, & esse integrum quoad bonitatem sibi debitam, atque adeo strictè perfectum, idem est iuxta suppositionem primam.

14 Tertio ex eo, quòd Deus habeat omnem bonitatem sibi possibilem, prout postulat infinitudo eius, sequitur Deum carere omni sibi malo: quia iuxta proposit. 4. statutam disp. 15. q. 7. vniuersique est bonum, & debitum carere omni sibi malo, atque adeo etiam iuxta dicta nuper possibile. Carere autem Deum omni sibi malo, & esse strictè perfectum in idem recidit; vt esse imperfectum, & habere aliquod sibi malum iuxta dicta disp. 15. q. 4. Quandoquidem vnumquodque

dumtaxat potest desinere esse perfectum strictè, siue esse imperfectum per defectum alicuius bonitatis sibi debitæ iuxta definitionem statutam ibidem; qui defectus malum quoddam ipsius est iuxta proposit. 9. stabilitam dictâ q. 7. disp. 15.

Quartò. Deus nullatenus potest esse malus. Ergo nec potest non esse strictè perfectus. Consequentia est bona. Quia si Deus non esset strictè perfectus, aliqua perfectione sibi debitæ careret iuxta definitiones statutas disp. 15. q. 2. & 4. Quæ carentia malum quoddam ipsius esset iuxta proposit. 9. statutam in eadem disp. 15. q. 7. Et quidem ipsius defectum perinde, ac esset perfectum, vt supponitur, eius contradictorium; ipsumque propterea reddens malum iuxta proposit. 3. dictâ q. 7. Probo ergo antecedens. Quia Deus non potest esse malus à malo aliquo sibi necessario iuxta proposit. 14. eiusdem q. 7. Et multò minùs à malo aliquo sibi impossibili, vt constât ex se, & ex proposit. 15. statuta ibidem. Sed neque à malo aliquo sibi contingente. Quia, cum contradictorium mali contingentis sit proportionaliter, atque adeo contingenter bonum, iuxta propositionem 4. dictâ q. 7. si Deus à malo aliquo sibi contingente isfici posset, & reddi malus, à contradictorio eius bono posset perfici, & reddi bonus; atque adeo melior, quàm in se necessariò est, contra doctrinam stabilitam suppositione tertiâ. Deus igitur à nullo malo malus, atque adeo neque imperfectus esse potest. Quod erat ostendendum. Quandoquidem nullum superest excogitabile malum comparatione Dei præter necessarium, vel impossibile, vel contingens, vt constât ex se, & ex demonstratione factâ in Phisico Scient. disp. 8. q. 4. proposit. 11.

Manet itaque demonstraum hactenus, Deum perfectum esse strictè, idest integrum quoad bonitatem sibi debitam, atque adeo immunem ab omni imperfectione positiuâ, quæ malitiâ relata est. Quod satis ad nostram propositionem videbatur: quandoquidem id, quod tale est in suo genere, perfectum dicitur esse, loquendo absolute. Amplius tamen intendimus, Deum scilicet ita insuper esse perfectum latè, idest bonum in se absolute, vt ab omni etiam imperfectione negatiuâ, quæ non est malitiâ, immunis sit, id quod modò ostendendum sequitur; supponendo primùm ex dictis disput. 15. q. 4. imperfectionem negatiuam aut esse veram negationem alicuius bonitatis perfectiæ subiecti, & ipsi non debita, atque adeo ab ipso distincta; aut esse oppositionem alicuius perfectionis realiter indistincta à subiecto cum aliâ perfectione maiore.

Etenim, quòd Deus à verâ negatione alicuius bonitatis perfectiæ sui, & sibi non debita, atque adeo à se distincta non possit esse negatiuè imperfectus, ex dicendis paulò infra proposit. 6. constabit. Quare probatio huius partis eò remittitur.

Quòd verò neque possit esse negatiuè imperfectus ab oppositione, siue incompatibilitate in eodem ente alicuius perfectionis à se indistincta cum aliqua perfectione maiore, probatur primò. Quia tota perfectio physica Dei manifestè est infinitè maior omni aliâ distincta à se ceterorum entium. Cum nullaque subinde maiore se opposita est siue incompatibilis in eodem ente. Quod satis est, vt Deus ab huiusmodi oppositionis imperfectione negatiuâ penitus sit immunis.

Secundò. Quia quodlibet prædicatum diuinum formaliter, & secundum se sumptum, vel à suo

suo conceptu præciso, vel ab eodem prout contracto ad tale subiectum, vt sicque potenter identificare secum cætera prædicata Dei, vel ab alijs Dei transcendentibus formalitatibus, quas secum fert, vt essendi à se, infinitudinis, immensitatis, æternitatis, necessitatis, &c. manifeste etiam est perfectio infinite maior (saltem æquualiter iuxta dicenda infra q. 5.) qualibet aliâ excogitabili aliorum entium distinctâ à se; cum nullâque proinde maiore se opposita, siue incompatibilis in eodem ente. Igitur Deus ratione nullius perfectionis suæ etiam sumptæ formaliter potest vllatenus subire imperfectionem negatiuam oppositionis cum maiore.

20 Tertiò. Quia iuxta dicta suppositione tertiâ, & in sequentibus dicenda, Deus eminenter continet in se omnem omnino aliorum entium perfectionem, adeo, vt tam perfectus saltem sit solus Deus, quàm coniunctum ex ipso, & illis. Atque ita, dato etiam, quod aliqua perfectio Dei præcisè, & formaliter sumpta cum aliâ maiore se cuiusvis alterius entis opposita, & incompatibilis esset; quia tamen incompatibilitas cum illâ quoad esse formale, quod illa habet in suo ente, non tolleretur compatibilitatem cum eadem quoad esse eminentiale, quod eadem ipsa habet in Deo, ab eiusmodi incompatibilitate, nulla omnino imperfectio adhuc negatiua redundaret in Deum. Quia eatenus solum censetur ens imperfectionem contrahere ab oppositione alicuius perfectionis suæ minoris cum aliâ maiore, quatenus ratione talis oppositionis per minorem excluditur ab ente maior, per quam illud perfectius esset, quàm est cum minore, prout latius explicuimus supra disp. 15. q. 4. Quod non eueniret in casu proposito: quia minor perfectio Dei opposita alteri maiori, & illam excludens quoad esse formale, quod ipsa habet in suo ente, neque esset opposita illi neque ipsam excludens quoad esse eminentiale, quod eadem ipsa habet in Deo: Deusque proinde non magis perfectus esset, tali oppositione perfectionum sublata, quàm ipsa interueniente. Vnde patet, à continentia eminentiali, quam Deus habet, omnium omnino perfectionum distinctarum à se specialiter nasci, vt ille prorsus incapax sit imperfectione consistente in oppositione alicuius perfectionis sui minoris cum aliâ maiore.

21 Quartò probatur idem ipsum. Quia, vt ostendemus proposit. 5. omnes omnino perfectiones simpliciter simplices continentur in Deo formaliter. Sed vnâ earum est citra dubium, esse non imperfectum vllò modo; quia melius absolute est vnique enti esse non imperfectum, quàm esse imperfectum iuxta proposit. 60. demonstratam disp. 15. q. 7. Igitur Deus nullo modo imperfectus, ab omnique proinde imperfectione etiam negatiua immunis est.

22 Quintò. Quia Deus est summum bonum, atque adeo ens omnium optimum, vt ostendimus infra q. 3. Sed ens omnium optimum ex conceptu suo est non imperfectum adhuc negatiue iuxta proposit. 63. demonstratam in eadem q. 7. citatâ nuper. Igitur Deus non imperfectus adhuc negatiue, atque adeo ab omni imperfectione adhuc negatiua prorsus immunis est.

23 Ex quibus omnibus iam palam est, Deum omnimodis esse perfectum, atque adeo immunem, imò & incapacem omnino omnino imperfectionis tam negatiue, quàm positiue. Porro quæcunque ex dictis speciatim probant, Deum

ita esse perfectum latè, vt ab omni imperfectione negatiua prorsus immunis sit, potiorij, & vrgentiori iure probant etiam, esse Deum perfectum strictè, & ab omni imperfectione positiua similiter immunem. Vide, si placet, quæ ad rem congerunt Soar. disp. 30. Metaph. sect. 1. Martinon. disp. 4. de Deo sect. 2. Patavi. lib. 6. Theolog. dogm. cap. 7. & alij. Nobis enim hæc pro datâ proposuit, satis, superque sunt.

Propositio 3.

Omnes perfectiones omnium rerum, aliquo modo sunt in Deo.

Ita omnes Theologi cum S. Th. 1. p. q. 4. art. 2. Et videtur propositio certa secundum fidem. Cum dicat Apostolus ad Rom. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et ipse Deus Exod. 33. promittens se ipsum Moyfi ostensurum dixerit. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Quasi in Deo solo sit omne bonum. Id quod significauit etiam S. Ioan. in suo Euang. cap. 1. iuxta expositionem multorum Patrum, cum dixit. *Quod factum est, in ipso vita erat. Quia in ipso constat omnia.* vt subiungit Ambros. lib. 1. Hexamer. cap. 4. Fauetque illud Psal. 49. *Et pulchritudo agri mecum est.* Atque cætera huiusmodi. Et frequenter repetunt Patres, præsertim S. Dionysius in lib. de diuin. nomin. vbi cap. 1. ait, *Deum omnia esse, quæ sunt.* Et nihil eorum, quæ sunt. Et cap. 4. dicit. *In Deo consistunt omnia quasi in fundo, quod capit omnia.* Et cap. 5. *Deus non quodammodo est, sed absolute, & liberè, & absque vllò termino, vniuerso illo, quod est esse, in se comprehenso, & occupato.* Post multaque ad rem dicta concludit. *Etenim non hoc est, & illud non est; sed est omnia, vt Auctor omnium; atque in se principia omnia, omnes conclusiones, atque fines eorum, quæ sunt, omnium continens, & ante omnia habens.* Similia habet Irenæus lib. 2. aduersus hæres cap. 1. Clemens Alex. lib. 1. Pedagog. cap. 9. *Deus, inquit, est omnia, & omnia Deus.* Hilarius lib. 11. de Trinit. fine. *Deus omnia in omnibus est, intra quem omnis causa consistit.* Nazianz. orat. 2. in Pascha paulo post initium. *Deus vniesum id, quod est, complectitur quasi Pelagus quoddam essentia immensum, & interminatum.* Cyrillus Alex. lib. 1. contra Iulianum aliquantò ante finem ait, *Deum esse omnia; omnis enim virtus ipse est, & omnia in se comprehendit.* August. lib. 5. de Genesi ad lit. cap. 14. *Deus nihil horum, quæ fecit, existens, & omnia primitus habens, sicut ipse est; neque enim ea faceret, nisi ea nosset, antequàm faceret; nec nosset, nisi haberet; nec haberet ea, quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus.* Anselm. in Monolog. cap. 33. *Omnia, quæ facta sunt, & antequàm fierent, & cum iam facta sunt, & cum corrumpuntur, seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in se ipsis; sed quod est idem ipse: etenim in se ipsis sunt essentia mutabilis secundum mutabilem rationem, in creata; in ipso verò existunt ipsa prima essentia, & prima essendi veritas.* Et in Profolog. cap. 17. loquens de pulchritudine, harmoniâ, odore, sapore, lenitate, ait. *Habes enim hæc Domine Deus in te tuo ineffabili modo, qui ea dedisti rebus à te creatis suo sensibili modo.* Bernard. lib. 5. de considerat. circa medium. *In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute.* Similiaque habent alij Patres. Ratio autem huius propositionis patebit ex dicendis circa sequentes.

Pro-

Propositio 4.

25 Deus eminenter habet, seu continet in se omnes omnino perfectiones omnium creaturarum.

Ita omnes Theologi cum S. Thom. cum omnibusque Patribus commemoratis proposit. 3. Primum enim omnes creaturæ cum existentes, tum possibles eminenter continentur in Deo tanquam in sua causâ primâ, & fontali. Quæ quidem non potest non præhabere, siue præcontinere in se id totum entitatis, & bonitatis, seu perfectionis, quod illis dat, aut potest dare, ipsas ex nihilo producendo: siquidem nullus dare potest id, quod non habet. Cumque totum id in se non præhabeat, siue præcontinet formaliter: quia Deus aliud quid est in se distinctum, diuersumque à suis creaturis; superest, vt illud præhabeat, seu præcontinet eminenter tanquam supereminens quædam, atque fontalis virtus, à qua illæ omnes oriundæ veniunt per sui effectiorem. Quam virtutalem, eminentialemque continentiam significat Patres, cum dicunt, creaturas omnes in Deo esse, non quod sunt in se ipsis, sed quod est ipse Deus. Tum, Deum omnia esse, quæ sunt, & nihil esse eorum, quæ sunt. Scilicet eminenter esse cetera omnia, & nihil eorum formaliter. Itaque ex prædicato causæ primæ omnium creaturarum in præcedentibus demonstrato, quod Deus habet, euentissimè inferitur, eas omnes cum totâ suâ perfectione contineri in Deo genere isto virtualis, eminentialisque continentia.

26 Quinimo ex eodem prædicato amplius inferitur cum euentiâ; adeo videlicet sublimi, singularique eminentiâ istius generis præcontinere Deum, atque etiam retinere in sese totam omnino perfectionem omnium suarum creaturarum, tum existentium, tum possibilium, vt saltem sit tam perfectus ipse solus, quam coniunctum cum illis, tam bonique, quam aggregatum simul ex se, & ex illis coalescens, prout iam relinquimus statutum, & ostensum suppositione tertiâ, dicturi ad rem adhuc plura infra q. 4.

27 Deinde Deus non solum eminentiâ dictâ virtutis, sed insuper eminentiâ æquivalentiæ continet eminenter in se perfectionem, seu bonitatem omnium creaturarum, quatenus bonitatem habet, quæ in ordine ad æstimabilitatem, & amabilitatem supereminenter, imo cum infinito excessu æquivaleret bonitati omnium creaturarum. Quod etiam genus eminentiæ infinite sublimius est in Deo, quam potest esse in vllâ creaturâ. Siquidem nulla creatura potest se sola habere tantum valoris, quantum coniunctum ex eâ, & ex alijs, quibus æquivaleret. Cum tamen Deus tantum saltem valoris sit solus, quanti est coniunctum ex ipso, & ex omnibus creaturis. De quo, suppositus dictis, nulla dubitatio esse potest.

28 Quibus etiam suppositis, facile ab vnoquoque dissolui poterunt, quæ contra nostram propositionem possunt opponi. Ob id in eis proponendis, & diluendis non immoror. Videri poterunt apud Fasol. 1. p. quæst. 4. art. 2. in comm. art.

Propositio 5.

Omnes omnino perfectiones simpliciter simplices formaliter sunt, siue continentur in Deo.

Hanc propositionem tenent etiam omnes Theologi communiter. Quorum nonnullos refert Fasol. loco citato nuper num. 4. Quam ego facile demonstro per ea, quæ demonstrata relinquo disp. 15. q. 7. Ibi enim ostendi proposit. 44. quavis omnino perfectionem simpliciter simplicem secundum suum conceptum formalem necessario debere esse, aut propriam entis à se, aut ipsi, & enti ab alio communem. Sed quoduis omnino prædicatum secundum suum conceptum formalem aut propriam alicuius entis, aut ipsi & alteri commune nequit non esse, siue contineri formaliter in ente ipso, vt est manifestum: (ob id namque sunt, siue continentur in Deo formaliter prædicatâ actus puri, omnipotentis, æterni, immensi, & alia huiusmodi; necnon prædicatâ intellectui, volitui, boni, iusti, & similia; quia secundum suos formales conceptus priora Dei propria, posteriora autem Deo, & creaturis communia sunt). Igitur quavis omnino perfectio simpliciter simplex formaliter est, siue continetur in ente à se, Aut Deus solus est ens à se, vt iam est in præcedentibus demonstratum. Igitur quavis omnino perfectio simpliciter simplex, & consequenter omnes omnino formaliter sunt, siue continentur in Deo, prout propositio data fert.

29 Quæ rursus aliter sic demonstranda venit, supposito vt euenti, & certo, quod datur in Deo aliquæ perfectiones simpliciter simplices ipsius Dei propria; quales euentur sunt conceptus entis à se, necessarij, independentis, immensi, æterni, infiniti, & alij de Deo in præcedentibus demonstrati. Tum sic. Nulla est perfectio simpliciter simplex incompatibilis cum aliâ quavis in eodem ente iuxta proposit. 39. demonstratam dictâ q. 7. Ergo nulla est perfectio simpliciter simplex, quæ non sit compatibilis cum ijs, quæ vnicè reperiuntur in Deo, & consequenter cum ipso Deo; quæque subinde ipsi Deo non sit possibilis. At omnis perfectio Deo possibilis ipsi consequenter est necessaria: quia Deus per nullam perfectionem sibi contingentem est perfectibilis iuxta doctrinam stabilitam suppositione tertiâ. Ergo nulla est perfectio simpliciter simplex, quæ necessariò, atque adeò de facto non sit, siue contineatur in Deo.

30 Vel aliter breuius. Hoc, quod est, esse Deum; euentissimè est perfectio simpliciter simplex. Ergo, cum nulla sit perfectio simpliciter simplex, quæ non sit per necessariam identitatem cum aliâ quavis compatibilis in eodem ente iuxta dictam proposit. 39. demonstratam dictâ q. 7. nulla est vtiq; perfectio simpliciter simplex, quæ per necessariam identitatem non sit compatibilis, atque adeò compatiatur de facto in eodem ente cum hoc, quod est, esse Deum. Quod ipsum est, omnes perfectiones simpliciter simplices de facto esse, seu contineri in Deo, nimirum formaliter, quo seculi in præsentiarum loquuntur semper.

31 Præterea, omnes omnino perfectiones simpliciter simplices formaliter sunt, siue continentur in ente omnium excogitabilium optimo iuxta proposit. 45. demonstratam ibidem. Sed Deus

Disp. XVI. De bonitate, & perfectione Dei. Quæst. II. 481

Deus est ens omnium excogitabilium optimum, ut demonstrabimus q. 3. Ergo, &c.

33 Ex quibus apparet, omnes itidem omnino perfectiones simpliciter formaliter contineri in Deo, utpote quæ & formaliter continentur itidem in ente omnium excogitabilium optimo iuxta præposit. 53. demonstratam dictâ q. 7. & in eadem, quod ad rem attinet, theologiam conspiciant cum perfectionibus simpliciter simplicibus, ut ex eisdem, seu prorsus similibus propositionibus de utrisque in eadem q. 7. demonstratis univocis eas recolenti perspicuum fiet. Unde univocis etiam facile erit, eisdem ad rem demonstrationes formate pro perfectionibus simpliciter, quæ circa præsentem propositionem pro perfectionibus simpliciter simplicibus formate sunt.

34 Itaque omnes, & solæ perfectiones ab omni imperfectione immunes ex suo conceptu formali, quales sunt perfectiones simpliciter simplices, & perfectiones simpliciter, prout vidimus q. 6. conveniunt formaliter Deo, utpote quæ prædicata sunt aut propria Dei, aut Deo, & creaturis communia, uti constat ex dictis. Cæteræ verò perfectiones ferentes secum ex suo conceptu formali aliquam imperfectionem admixtam, quales sunt omnes perfectiones secundum quid iuxta dicta in eadem q. 6. neutiquam possunt Deo formaliter convenire; utpote quæ prædicata sunt nec propria Dei, nec Deo, & creaturis communia, sed propria ipsarum creaturarum, aut certè aliorum entium realiter distinctorum à Deo. Constat enim, debere esse propria aliorum entium omnia, ea prædicata, quæ nec Dei propria, nec Deo, & alijs entibus communia sunt: tum non esse prædicata Dei, quæ propria sunt aliorum entium; eique proinde nullo modo convenire formaliter. Et quidem esse Deum prorsus immunem ab omni imperfectione in sequentibus demonstrabitur. Inde autem aperte etiam sequitur, nullum eorum prædicatum, quæ ex suo conceptu formali admixtam secum ferunt imperfectionem, posse quoad talem conceptum formalem inesse Deo. Quod ipsum est, nullum eorum posse Deo convenire formaliter.

35 Iam verò ex hac, & ex præcedentibus propositionibus nonnulla veniunt inferenda; ex quibus & illa vicissim non exiguum lucem accipient. Primum enim inferitur, perfectiones simpliciter simplices, quæ sunt propria Dei, ut esse æternam, esse immensam, &c. formaliter convenire Deo non solum quoad totum suum conceptum formalem, sed etiam quoad totam realitatem cadentem sub ipsum: id namque, & talem conceptum esse Dei proprium, in idem recidunt. Perfectiones verò simpliciter simplices, quæ Deo & alijs entibus sunt communes, ut esse intellectivum, esse bonum, &c. etsi conveniant formaliter Deo quoad totum suum conceptum formalem, utpote unum, & indivisum, qualiter & alijs entibus, quibus communes sunt, conveniunt: non tamen conveniunt Deo quoad totam realitatem comprehensam tali conceptu, utpote quæ per omnia entia, quibus ille est communis, dispersa est, & distributa re ipsa, sed tantum quoad illam partem, quæ realiter inest Deo, & simul cum partibus aliorum entium ob similitudinem omnium conspiciat in eundem conceptum penes modum intelligendi nostrum pro statu præsentis. Hac enim omnia propria sunt conceptui univocis, quales sunt isti (sive univocis, sive analogicis, de quo modo non est curandum); prout latè à nobis

est expositum in Pharo Scient. disp. 17. à quæst. 4.

Hinc inferitur secundo, licet Deus absolute dicatur continere in se formaliter eas perfectiones simpliciter simplices, quæ sibi, & alijs entibus communes sunt, quatenus conceptus prædictus cuiusvis earum, utpote unus, & indivisus totus concipitur à nobis inesse Deo, sicuti etiam alijs entibus, quibus ille est communis; satius tamen fortasse fore, si cum distinctione dicamus, eiusmodi conceptum absolute continere Deo formaliter logicè, formaliter verò physicè quoad eam dumtaxat realitatem quæ physicè inest soli Deo, (& pro qua solà etiam logicè accipitur prout contractus ad ipsum Deum iuxta dicta loco citato Phari de contractione univocis); secus quoad alias realitates, quæ physicè insunt alijs entibus, & quas omnes simul comprehendit dictus conceptus secundum se consideratus in statu abstractionis, seu præcisionis. Deo enim à parte rei ea solum insunt formaliter, quæ in ipso sunt physicè; minime verò ea, quæ physicè sunt in alijs entibus distinctis ab ipso.

Unde inferitur tertio, eas realitates creaturarum, quæ logicè cadunt sub conceptus perfectionum simpliciter simplicium Deo, & creaturis communes, eminenter tantum inesse, seu contineri in Deo; sicut & cætera prædicata creaturarum propria, quæ & realiter, & formaliter sumpta sunt perfectiones secundum quid admixtam secum ferentes imperfectionem. Deus quippe integram realitatem cuiusvis creaturæ continet eminenter in se; quia integram dat aut dare potest tali creaturæ per ipsius productionem: & nihil eius omnino continet formaliter in se; quia nihil eius omnino habet in se sibi identificatum realiter. Itaque, licet Deus formaliter contineat in se conceptum rationalis, logicè quidem totum, physicè verò quoad rationalitatem secum identificatam realiter, sub talemque conceptum cadentem; quoad rationalitates verò identificatas cum creaturis, & simul etiam cadentes sub conceptum ipsum dumtaxat continet eminenter unà cum cæteris prædicatis, atque adeo cum entitatibus integris ipsarum creaturarum. Pariterque de cæteris perfectionibus simpliciter simplicibus Deo, & creaturis communibus philosophandum est. Quæcumque autem in hisce tribus consecutijs de perfectionibus simpliciter simplicibus dicta sunt, eundem omnino locum habent in perfectionibus simpliciter, ut satis ex se notum est.

Quibus positis, inferitur quarto, Deum, loquendo physicè, ea dumtaxat continere, siue habere formaliter in se, quæ secum habet identificata realiter; cætera verò à se distincta, & cum omnibus alijs entibus possibilibus identificata realiter eorumque subinde omnium integras entitates solum in se continere eminenter. Et quoniam, contineri in Deo eminenter cætera entia possibilis, non est ipsa; eorum essentias in Deo esse, uti sunt in sese, sed essentiam Dei habere supereminenter virtutem ad eas causandas à seque ipsa producendas, & in lucem edendas; idcirco per huiusmodi cæterorum entium eminentiale continentiam nihil penitus appingitur Deo de imperfectionibus, quas eorum essentia sibi annexas de suo habent in se se, aut ipsas accrescunt accidentaliter. Quo rursus fit, ut Deus totam eorumdem entium perfectionem isto genere continentia eminentialis habeat in se ab omni prorsus depuratam imperfectione; utpote quæ

PPP dum.

dumtaxat fert secum admixtas ipsorum entium imperfectiones secundum esse formale, quod habet in illis; minime vero secundum esse eminentiale, quod habet in Deo.

39 Quinto inferitur, Deum non solum continere in se eminenter totam perfectionem seu bonitatem omnium entium possibilium, sed etiam totam omnium impossibilium, si quam illa habent iuxta dicta disp. 15. q. 9. proposit. 4. Quoniam omnipotentia Dei à sua omnimoda infinitudine habet, esse virtutem absolutam, quantum est ex se, productivam omnis omnino excogitabilis entitatis, ac bonitatis distincta à se, adeo, ut per ipsam non ster, quod non sit defacto potens absolute producere impossibilia, sicuti est potens producere possibilis, sed per defectum possibilitatis, atque adeo producibilitatis illorum. Quod satis est, ut tota impossibilium bonitas, si quam habent, in Deo dicatur absolute contineri eminenter, uti dicitur contineri tota bonitas possibilium. Quemadmodum intellectus Dei à sua omnimoda infinitudine habet esse virtutem absolutam, quantum est in se, intellectivam omnino omnino excogitabilis veritatis obiectivam, adeo, ut per ipsam non ster, quod non sit intelligens defacto eas omnes veritates excogitabiles, quae modo non sunt, essent tamen ex quavis hypothese data, sed per defectum illarum, atque adeo & intelligibilitatis earumdem. Quod satis est, ut omnium ipsarum intellectiones tam impossibiles, quam possibilis absolute dicantur contineri in intellectu Dei eminenter. Ratio huius doctrinae est. Quia in Deo, ut nuper ostendimus, omnes omnino perfectiones simpliciter simplices reperiuntur formaliter. Igitur reperitur virtus, quantum est ex se, productiva omnis excogitabilis bonitatis à se distincta, nisi eius improducibilis obiter: quia talis virtus manifeste est perfectio simpliciter simplex. At sufficit esse in Deo talem virtutem, ut absolute dicatur contineri in illo eminenter omnis excogitabilis bonitas ab ipso distincta, quantumvis ea ex suo conceptu impossibilis, atque improducibilis sit; ut satis ex se videtur notum. Ergo absolute dicendum est, omnem omnino bonitatem omnium impossibilium, atque improducibilium contineri in Deo eminenter: uti dicitur contineri bonitas omnium possibilium. Idque, siue illorum improducibilitas ex praedicto impossibilitatis praecise, siue insuper ex aliquo alio opposito producibilitati ipsorum nascatur, quale est praedictum, essendi à se in Dijs chymericis, etsi quae sint alia huiusmodi in alijs chymericis. Quod si isto genere continentia tota bonitas, siue perfectio impossibilium continetur in Deo, consequens est, ut tam perfectus sit Deus solus, quam coniunctus cum illis; tanque bonus, quam aggregatum, simul ex se, & ex illis coalescens, uti dicebamus in simili agendo de possibilibus circa proposit. 4.

40 Vnde iuxta ibi dicta in simili sequitur inferendum sextò, Deum non solum eminentia virtutis, sed insuper eminentia aequivalentia continere eminenter in se perfectionem, seu bonitatem omnium impossibilium, ita, ut ipse solus in ordine ad aestimabilitatem, atque amabilitatem tantum saltem valoris habeat, quantum integrum aggregatum ex se, & ex illis. Idque etiam spectata perfectione, seu bonitate ipsorum secundum se, & cum praecisione ab imperfectione impossibilitatis, quam secum fert. A qua tamen, abso-

lutè, & sine praecisione loquendo, tota illius aestimabilitas, & amabilitas videtur evanescere iuxta ea, quae dicebamus supra q. 9. sine. Quo fit, ut, loquendo absolute, incomparabiliter certius, & evidentius sit consuetarium praesens.

Propositio 6.

Deus à solis perfectionibus sibi intrinsicis, & secum identificatis ita evadit perfectus, ut neque per ullam perfectionem à se distinctam, aut sibi quoquo modo accessoriam possit perferri, siue perfectior fieri; neque per ullam imperfectionem similiter à se distinctam, aut sibi quoquo modo accessoriam possit vitari, siue imperfectus, seu non omnino perfectus reddi.

Sermo est in hac propositione tam de perfecto strictè sumpto pro integro quoad bonitatem sibi debitam, quam de perfecto late sumpto pro quolibet bono absoluto; deque imperfecto, seu non omnino perfecto opposito utriusque. Tum de perfectione sumpta pro bono relativo perfectioni subiecti, deque imperfectione ei opposita, quae aut positiva, aut negativa potest esse iuxta dicta suppositione primà. Propositio autem ita veripara omnino certa inter Theologos esse videtur. Tametsi ea apud illos communiter potius supposita, quam exposita, atque probata reperitur.

Probari autem potest primò sic. Deus per nullam perfectionem à se distinctam, & sibi contingentem perferri potest, ita, ut per illam perfectior, siue melior evadat, quam sine illa esset, ut ex doctrina statuta suppositione tertia satis clare est iam demonstratum circa proposit. 2. Per nullam item sibi impossibilem sic perferri potest, ut constet ex se, & ex proposit. 17. demonstrata disp. 15. q. 7. Sed neque perferri similiter potest per ullam sibi necessariam. Ergo absolute per nullam potest. Maior supponitur demonstrata. Et consequentia est bona. Siquidem nulla superest excogitabilis perfectio comparatione Dei, praeter contingentem, impossibilem, & necessariam, ut ex se patet, & ex demonstratione facta in Pharo Scient. disp. 8. q. 4. proposit. 11. Probo ergo minorem. Quia nulla perfectio positiva excogitabilis distincta à Deo est necessaria quoad existentiam, siue quoad statum existentialem: cum omnis quoad talem statum aut sit contingens, si sit perfectio entis possibilis, aut sit impossibilis, si sit perfectio entis impossibilis; ut est manifestum. Penes statum verò quiditativum sibi necessarium nulla perfectio positiva esse potest perfectiva Dei. Tum quia nulla prout in tali statu praecise vllius entis existentis perfectiva est iuxta doctrinam statutam disp. 15. q. 8. & 9. n. 180. & 191. Tum quia nulla est seu possibilis, seu impossibilis, quae non pracontineatur in Deo eminenter; ipsumque proinde nullatenus perferre possit iuxta iam dicta in hac q. Iam verò, quod neque sint perfectiva Dei negationes malorum Deo impossibilium, quae necessario existunt suo modo, & veritates quaedam sunt negativae distinctae ab ipso Deo iuxta doctrinam vniuersalem de negationibus à nobis traditam in Pharo Scient. disp. 9. q. 3. nimirum negationes cruciatum, dolorum, peccatorum, aliorumque huiusmodi malorum Dei ipsi prorsus impossibilium. Quod, inquam, istae negationes existentialem necessariae, etsi sint quaedam

dam bona Dei, quatenus eius mala excludunt, iuxta dicta disp. 15. q. 9. non tamen sunt bona ipsius perfectiua probandum superest.

43 Id autem probatur. Quia, cum negatio mali eatenus solum sit subiecto bona, quatenus est exclusio, siue remotio mali eius, tunc solum suo negativo modo perfectiua subiecti est, quando malum, quod excludit, est ipse subiecti noticiuum, seu infectiuum, seu vitiatiuum. Prædicta autem mala chymærica, penitusque impossibilia Deo, etsi ex suo obiectiuo, quiditatioque conceptu aliquo modo sint mala Dei, simpliciter tamen, & absolute loquendo ipsius mala verè nociua, seu infectiua esse non possunt hoc ipso, quod ipsi prorsus impossibilia sunt iuxta doctrinam statutam supra disp. 15. q. 7. proposit. 15. Tum quia Deus ab intrinseco est prorsus iacax, qui per talia mala vitiatur, siue inficiatur; (inde enim nascitur, quod ea sint ipsi prorsus impossibilia); cum sit manifestum, eiusmodi incapacitatem esse perfectionem simpliciter simplicem, utpote meliorem non ipsa, quæ propterea nequit deesse Deo iuxta proposit. 5. Vnde fit, ut neque negationes talium malorum sint bona perfectiua ipsius Dei adhuc suo negativo, seu remotiuo modo. Id quod ex alio etiam capite conuenit illis, quia nimirum earum bonitas, quæcunque sit, in Deo præcontineri eminenter censenda est tum eminentiæ æquivalentiæ, tum etiam eminentiæ causalitatis: quatenus Deus, utpote, oppositus essentialiter eis malis chymæricis, quorum illa sunt negationes, saltem veluti in genere causæ formalis excludendo talia mala quodammodo causa illarum est. Vnde, licet aliquam illa bonitatem respectiuam qualem qualem habere dicantur, Deus iam totam eam in se præcontines neuiquam à coniunctione cum illis potest niagis bonus euadere. Recognoscantur dicta supra disp. 4. q. 2. sub finem de huiusmodi negationibus malorum impossibilium Deo.

44 Secundo probatur idem ipsum. Quia perfectio Dei simpliciter simplex est citra omnem dubium, esse tam necessarium quoad totam bonitatem, quæ est bonus, quam est necessarius quoad existentiam; siquidem vel ipsa necessitas existentie ab eo habet esse perfectionem Dei simpliciter simplicem, quod existentia est bonitas quædam Dei. Sed quidquid distinguitur à Deo aut est contingens, aut est infinite minus necessarius, quam existentia Dei, ut supra disp. 3. q. 2. est statutum. Ergo per nihil à se distinctum potest Deus perfici, siue reddi magis bonus in se. Alioquin quoad integram suam bonitatem aut esset contingens, aut infinite minus necessarius, quam est quoad existentiam.

45 Tertiò probatur. Nam ad conceptum actus purissimi, qualis Deus est, prout ex sententiâ omnium statuimus disp. 1. q. 12. pertinet etiam citra dubium per nihil à se distinctum perfici posse. Esset enim entitas Dei comparatione illius potentia perfectibilis; atque adeo non actus purus; prout explicatum est ibidem. Igitur Deus per nihil prorsus à se distinctum perfici potest.

46 Quartò. Quoniam ad omnimodam etiam simplicitatem Dei supra disp. 11. statutam requiritur item, quod Deus per nihil prorsus à se distinctum perfici possit. Nam si posset, integra bonitas, siue perfectio eius nos esset simplex, sed composita ex entitate Dei, & ex perfectiuo illo ab eâ distincto.

47 Quintò probatur. Quia quemadmodum

perfectio Dei est simpliciter simplex à nihilo prorsus distincto à se adhuc tanquam à termino connexionis dependere quoad entitatem, prout latè ostendimus supra disp. 4. q. 2. ita etiam haud dubie est non dependere quoad bonitatem. Si autem Deus per aliquid à se distinctum perfici posset, seu reddi magis bonus, quoad suam integram bonitatem ab illo dependeret; ut constat.

Hæc satis pro primâ parte propositionis. 48
Proberemus iam secundam. Quæ quidem, quod attinet ad imperfectionem positiuam, quæ malitia relata est, satis in præcedentibus probata manet. Ostendimus enim multis proposit. 2. Deum nullatenus posse imperfectum esse; per nullumque subinde malum infici, vitiari, seu reddi malum posse. Id quod etiam constat ex nuper dictis pro præsentè propositione. Quod verò attinet ad imperfectionem negatiuam, quæ malitia non est, iam item proposit. 2. ostendimus, Deum prorsus immunem esse ab illâ, quæ consistit in oppositione alicuius perfectionis à subiecto indistinctæ cum aliâ perfectione maiore, remittentes huc probationem immunitatis Dei ab alterâ imperfectione negatiuâ, quæ consistit in verâ negatione alicuius perfectionis subiecto non debite, realiterque proinde ab ipso distinctæ, qualiter etiam suo modo distincta est ipsa negatio iuxta doctrinam vniuersalem de negationibus traditam in Pharo Scient. disp. 9. q. 3. Igitur huiusmodi probatio modo exhibenda à nobis est. Supponendo primùm, negationem perfectionis non debite triplicem considerari posse comparatione Dei, contingentem scilicet, necessariam, & impossibilem. Eritque negatio talis perfectionis contingens, quando ipsa perfectio similiter fuerit contingens; necessaria verò, quando perfectio fuerit impossibilis; & impossibilis, quando perfectio fuerit necessaria, iuxta demonstrationes vniuersales factas citra terminos istos in Pharo Scient. disp. 11. q. 5. His positis.

49 Quod Deus nequeat esse negatiuè imperfectus per negationem contingentem alicuius perfectionis pariter contingentis, inde apertè conspicitur; quia Deus per nullam perfectionem contingentem perfici potest, ut ex doctrinâ statuta suppositione tertiâ ostendimus proposit. 2. Hinc autem planè sequitur, per nullam negationem contingentem perfectionis contingentis posse Deum reddi negatiuè imperfectum: siquidem sola negatio perfectionis perfectiue subiecti, & ei indebitæ ipsius subiecti est negatiua imperfectio iuxta definitionem huius statutam disp. 15. q. 4.

50 Quod verò neque per negationem impossibilem alicuius perfectionis necessariæ possit Deus reddi negatiuè imperfectus, tum ex terminis ipsis, tum ex demonstratione factâ in simili disp. 15. q. 7. proposit. 15. est manifestum. Tum inde venit inluper ostendendum: quia, cum nulla perfectio excogitabilis à Deo distincta, & ipsi necessaria ipsius Dei perfectiua sit, ut paulò ante probatum est, nulla talis perfectionis negatio erit de suo imperfectio Dei negatiua iuxta dicta nuper. Vnde, est ea esset possibilis, adhuc non posset Deum reddere negatiuè imperfectum.

51 Quod denique per negationem necessariam alicuius perfectionis impossibilis non possit euadere Deus negatiuè imperfectus, inde probandum est: quia nulla perfectio impossibilis est perfectiua Dei adhuc penes statum suum quiditatioque necessarium sibi, ut ostendimus in argumento primo huius propositionis, nedum penes

statum existentialem sibi impossibilem, vt patet ex se, & ex doctrinâ statuta disp. 15. q. 7. proposit. 17. Negatio autem perfectionis non perfectionis Dei, ipsius negatiua imperfectio esse non potest iuxta talis imperfectiois præcitam definitionem.

52 Adde per ea insuper argumenta, quibus proposit. 2. vniuersaliter probauimus, Deum ab omni imperfectione negatiua esse prorsus immunem, hanc præsentis propositionis partem venire probandam; vt constat.

53 Iam verò ex dictis circa totam illam nonnulla coniectaria inferendam veniunt. Sit primum, omnia bona relata seu positiua, seu negatiua realiter distincta à Deo, quæ reuerà Deo ipsi conuenientia, atque adeò bona relata eidem amabilia sunt, vt sunt omnes actus externi eius cū totâ suâ tum physicâ, tum etiam morali bonitate, omnes laudes, grates, honores, obsequiaque omnia ipsi præstita à creaturis rationalibus, & cætera quæque excogitabilia ita esse Deo respectiue bona quasi extrinsecè, ac veluti extraneè dumtaxat, vt per nullum eorum sit Deus vllatenus perfectibilis, siue meliorabilis, ita, vt per illud sibi adiunctum magis perfectus, seu magis bonus, seu melior euadat Deus in se, quam sine illo esset per solam suam intrinsecam, siue indistinctam à se entitatem. In quo Deus à creaturis differt, quæ sæpe sapius per bona à suâ entitate distincta, & eis accessoria ita perficiuntur, & meliorantur, vt per illa sibi adiuncta magis perfectæ, seu magis bonæ, seu maiores in se euadant, quam sine illis essent. Vnde etiam patet, eam conuenientiam, seu bonitatem, quam bona relata Dei ab ipso distincta respectiue ad Deum ipsum habent, quæ rationis esse ab eâ conuenientiâ, seu bonitate, quam bona relata creaturarum ab ipsis distincta habent respectiue ad ipsas creaturas. Porro inter bona distincta à Deo omnes actus liberi eius seu voluntatis, seu intellectus, quatenus ipsi contingentes, siue accessorii ab ipsoque defectibiles censendi veniunt. Quidquid sit de eorum constitutione vel adæquatè Deo intrinsecè, vel semiextrinsecè, iuxta diuersas Theologorum sententias. De quibus suo loco.

54 Secundo similiter inferitur, omnia mala relata, seu positiua, seu negatiua realiter distincta à Deo, quæ reuerà Deo ipsi disconuenientia, atque adeò mala relata eidem odibilia sunt, vt sunt omnes blasphemix, contumelix, irreuerentiæ, detractiones, & cætera quæuis iniuriæ à creaturis rationalibus ei irrogata, aliaque omnia excogitabilia mala ipsius, ita esse Deo respectiue mala quasi extrinsecè, ac veluti extraneè dumtaxat, vt per nullum eorum possit Deus vllatenus damnificari, infici, seu vitari, aut aliquo modo reddi malus, aut imperfectus, aut minus perfectus, seu minus bonus, quam sine illo esset. In quo etiam Deus valde differt à creaturis, quæ à malis sibi accessorijs, & à se distinctis realiter sapissimè inficiuntur, atque vitantur, in seque imperfectæ, & malæ absolutè redduntur, quales non essent sine illis. Vnde etiam apparet, eam disconuenientiam, siue malitiam, quam mala relata Dei ab ipso distincta respectiue ad Deum ipsum habent, longè diueris rationis esse ab eâ disconuenientiâ, siue malitiâ, quam mala relata creaturarum distincta ab ipsis habent respectiue ab eadem.

55 Tertiò inferitur, attributa diuina, quæ per aliquid distinctum à Deo seu positium, seu ne-

gatum quoquo modo constituuntur, aut complentur in suo conceptu formali; ob idque aut extrinsecè Deo, aut semiextrinsecè dicenda veniunt iuxta diuisionem, explicationemque eorum à nobis traditam supra disp. 2. q. 3. per bonitatem, quam participant à tali extrinsecò, siue distincto à Deo, neutiquam perfectiua Dei esse, sed tantum per præcisam bonitatem, quam vnumquodque habet à formalitate diuinâ sibi correspondente realiter indistinctâ à Deo. Itaque Omnipotentia Dei prout reddens eum absolute potentem creaturas producere (quo pacto sumpta possibilitatem ipsarum creaturarum de connotato includit in suo conceptu reali iuxta doctrinam à nobis traditam in eâ disp. 2. sæpeque alibi) non perficit Deum penes totum, quod dicit talis eius conceptus, sed tantum penes formalitatem à Deo indistinctam, quam dicit directè, virtutis scilicet absolutæ, quantum est ex se, productiua omnium, quæ aliàs ex proprio suo conceptu non repugauerint. Similiter per hoc, quod est, Deum creare Mundum; siue esse Creatorem Mundi; (qui conceptus supra formalitatem à Deo indistinctam, cui Mundi creatio correspondet, creationem ipsam distinctam addit), non perficitur Deus, sed tantum per ipsam Dei formalitatem, à qua creatio Mundi exire concipitur. Pariterque de cæteris Dei similibus attributis tum semiextrinsecis, tum extrinsecis philosophandum est.

Quartò inferitur, attributa diuina, quæ semiextrinsecè, & quæ extrinsecè nuncupamus, neutiquam esse perfectiones Dei simpliciter simplices sumpta indiuisim secundum totum, quod important in conceptu suo, sed tantum secundum formalitatem diuinam realiter indistinctam à Deo, quam vnumquodque fert etiam in conceptu suo, vel ei correspondet. Nam vniuersiuisque residuum distinctum à Deo ad perfectionem eius simpliciter simplicem vt quid constituens ipsam pertinere non potest: tum quia non habet bonitatem perfectiua Dei, vt constat ex dictis circa præsentem propositionem: tum quia non potest non esse admixtum aliquâ imperfectione, vt constat ex dictis circa proposit. 5. Quod vtrumque alienum est à conceptu perfectionis simpliciter simplicis iuxta definitionem eius expositam disp. 15. q. 6.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus sit summum bonum. Atque adeò ens omnium entium optimum.

Summum dicitur in vnoquoque genere id, quod supremum est, siue maximum omnium, quæ pertinent ad tale genus. Vnde summum bonum venit dicendum id, quod omnium bonorum maximum est. Quare idem est querere, vtrum Deus sit summum bonum, ac querere, vtrum Deus sit bonum omnium bonorum maximum; seu, quod in idem recidit, ens omnium entium optimum; vel, vt alij dicunt, ens, quo melius aliud cogitari non potest.

Propositio 1.

58 Certum secundum fidem est, Deum esse summum bonum. Atque adeo ens omnium entium optimum.

Id namque imprimis planè significant ea Scripturæ loca, quæ significant, non esse quidpiam, quod cum Deo possit comparari. Vt Psal. 34. *Domine quis similis tibi?* Isaïæ 44. *Quis similis mei?* Et 46. *Cui assimilasti me, & adequasti, & comparasti me?* & fecisti similem? Et mox, *Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei.* Baruch. 3. *Hic est Deus noster, & non assimilabitur aliis adversus eum.* Idem significant ea Scripturæ loca, quæ Dei magnitudinem extollunt. Vt Psal. 94. *Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos.* Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Nec non, quæ Deum primum, & nouissimum prædicant, ut Isaïæ 41. 44 & 48. Apocal. 1. & 22. Idem significavit Christus Dominus, cum dixit Math. 19. *Unus est bonus Deus.* Scilicet per essentiã, atque adeo per summam bonitatis excellentiam. Quod etiam spectat locus ille Exod. 33. *Vbi se Deus Omne bonum nuncupavit.*

59 Deinde, Deum esse summum bonum, euidenter inferitur (prout apparebit ex dicendis proposit. 2.) ex alijs prædicatis diuinis in precedentibus stabilitis tanquam convenientibus ipsi secundum fidem. Quo etiam iure ad fidem pertinet veritas ista, saltem ut consequens theologicum nobis mediã fide innotescens.

60 Quæ sanè veritas adeo omnium mentibus insita est vel à naturã ipsã, ut nemo sit, qui non concipiat Deum tanquam id, quo nihil melius esse, siue exiltere possit, ut egregie docet August. lib. 1. de Doctrinã christiana cap. 7. dicens, Deum ita ab omnibus cogitari, ut aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. Et factò discursu per varia, diuersaque genera hominum concipientium Deum, concludit, *Omnes tamen pro excellentiã Dei certatim dimicant, nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est.* Et Ricardus Victorin. lib. 1. de Trinit. cap. 20. ait. *Contingere itaque videtur quasi quadam dote naturæ, quod cuncti per tam eruditi, quam non eruditi solent habere familiaritatem, & quasi pro regulã reuerẽ, Deo videlicet, quidquid optimum iudicant, inconstanter attribuere.* Et rursus. *Est itaque eruditus velut maxima propositio; est cunctis in commune velut communis animi perceptio, Deo attribuere, quidquid alijs attingit humana estimatio.* In eadem sententiã erat Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem cap. 3. quando definiturus Deum dixit. *Id definitio, quod est omnium conscientia agnosceret, Deum summum esse magnum.* Et mox. *Cum de isto conueniat apud omnes, (nemo enim negabit, Deum summum magnum quid esse, nisi qui poterit Deum inum, modicum quid est contrario pronunciarẽ, ut Deum neget, auferendo, quod Dei est); quæ erit tam conditio ipsius summi magni, nempe, ut nihil illi adequetur.* Itaque quàm est naturæ rationali congenita notitia de existentia Dei iuxta dictã disp. 1. q. 2. tam ipsius congenita apprehensio de summã ipsius magnitudine, & bonitate.

Propositio 2.

Euidens secundum rationem naturalem est, Deum esse summum bonum. Atque adeo ens omnium entium optimum.

61 Id enim demonstratur primò. Quia omnis perfectio simpliciter simplex euidenter conuenit Deo iuxta proposit. 5. aliunde, quàm à prædicato optimi, demonstratam q. 2. Sed esse ens omnium entium optimum euidenter est perfectio simpliciter simplex: cum planè sit euidens, meliorem esse ipsam non ipsã. Ergo esse ens omnium entium optimum euidenter conuenit Deo.

62 Secundò, Quia, ut constat ex doctrinã statutã in eadem q. 2. proposit. 4. atque etiam 5. citatã, Deus præter propriam bonitatem, quam formaliter in se habet, omnium aliorum entium bonitates continet eminenter in se. Ergo nullum est ens excogitabile tam bonum, quàm Deus. Si quidem vnumquodque solã suã bonitate est bonum: Deus autem tum ipsã eadem vniuscuiusque, tum omnium aliorum eminentialiter, tum propriã formaliter bonus est. Quod ipsum est, esse Deum ens optimum omnium entium, ut constat.

63 Tertiò. Quia iuxta proposit. 2. demonstratam in eadem q. 2. Deus omnimodis perfectus, ab omnique omnino imperfectione prorsus immunis est. Sed nullum ens præter optimum omnium ab omni imperfectione est immune iuxta proposit. 62. demonstratam disp. 15. q. 7. Igitur Deus ens omnium entium optimum est.

64 Quartò. Quia Deus titulo vnici entis à se tantam infinitudinem habet perfectionis, ac bonitatis, quantam in nullo alio ente excogitabili reperire est, iuxta doctrinã demonstratam de vnitã, atque de infinitate Dei supra disp. 12. & 14. Igitur nullum est ens excogitabile tam perfectum, tamque bonum, quàm Deus. Quod ipsum est, esse Deum ens omnium entium optimum.

65 Quintò. Quia nullum est ens aliud excogitabile, quod sit æquè bonum, aut magis bonum, quàm est Deus. Ergo Deus ens omnium excogitabilium optimum est. Consequentia est euidens, Probo antecedes. Nam vel tale ens aliud excogitabile est ens à se; & sic illud erit chymæricum: cum Deus solus vnice sit reuerã, & simpliciter ens à se, ut supra disp. 12. q. 2. est demonstratum. Aliud autem quoduis ens à se chymæricum, etsi æquale quoad bonitatem Deo vero nostro cogitetur, taleque proinde aliquãlter euadat ex conceptu suo intra statum quiditatum præcisè; cuiusmodi tamen bonitas ita decreuit, seu potius penitus absorbetur ab imperfectione sibi annexã impossibilitatis, ut pro nullã reputanda supersit reuerã, & simpliciter, iuxta doctrinã stabilitam supra disp. 15. q. 9. Vel tale ens excogitabile est ens ab alio. Et sic eius bonitas cum bonitate veri entis à se, quale Deus noster est, nullatenus potest comparabilis esse, ut ex se est manifestum: multòque minùs, si tale ens ab alio sit impossibile iuxta dictã nuperrimè. Nullum ergo aliud ens excogitabile est, quod sit æquè bonum, aut magis bonum, quàm est Deus. Deuique subinde ens omnium excogitabilium optimum est. Quod erat demonstrandum.

66 Ita autem Deus ens omnium entium optimum

num est, vt bonitas eius maior sit omnibus omnium aliorum entium tam impossibilium, quam possibilium bonitatibus, non solum distributiue, sed etiam collectiue sumptis, hoc est, non solum singulis seorsim, sed etiam toto earum omnium aggregato collectim, siue tota bonitate coalescente ex omnibus illis, Quod vtrumque venit probandum per argumenta facta, vt vnique consideranti, & ea ad vtrumque casum applicanti innotescet. Vtrum autem Deus solus, aut æque, aut magis bonus sit, quam est aggregatum resultans ex ipso Deo, & ex omnibus alijs entibus, sequenter examinabitur.

QVÆSTIO IV.

Virum Deus simul cum alijs entibus sit maius bonum, quam Deus solus; vel æquale; vel minus.

- 67 **S**uppono primò, duas hinc imprimis debere distinguere quæstiones, quas immeritò confundunt aliqui. Prima est, an Deus per coniunctionem cum alijs entibus perfectior in se, atque adeò magis bonus, quam esset sine illis, euadat. Secunda, an aggregatum ex Deo, & ex alijs entibus sit in se maius bonum, quam Deus solus. Vtraque à nobis decidenda.
- 68 **S**uppono secundò, Auctores communiter dumtaxat agere ad propositum de coniuncto ex Deo, & creaturis existentibus, aut etiam possibilibus. Ego verò vniuersaliter agam de coniuncto ex Deo, & omnibus alijs entibus etiam impossibilibus. Quandoquidem entibus quoque impossibilibus sua conuenit bonitas intra ipsorum statum quiditatum, prout supra disp. 15. q. 9. proposit. 4. exposui.
- 69 **S**uppono tertio, Auctores communiter tantum vertere in dubium, an aggregatum ex Deo, & creaturis sit maius bonum, quam Deus solus; an non, sed æquale; non examinantes speciatim, (quod viderim), an sit bonum minus. Quod tamen ego dignum examine, atque determinatione censeo.
- 70 **I**gitur circa secundam quæstionem propositam suppositione primà, quam potissimum Auctores versant, Durand. in 1. dist. 43. q. 3. docet, bonum diuinum, & bonum creatum, siue complexum ex vtroque aliquid melius esse saltem extensiuè, quam solum bonum diuinum. Consentiant Soar. lib. 1. de Deo cap. 5. num. 3. Arriag. disp. 27. de voluntate Dei. num. 77. & Card. de Lugo disp. 2. de Incarat. sect. 4. num. 63. concedentes, tale complexum extensiuè quidem esse melius bono diuino solo; non verò intensiuè. Communis tamen sententia absolutè pronuntiat, aggregatum ex Deo, & creaturis melius, seu maius bonum non esse, quam est Deus solus. Ita tenent S. Thom. in 3. dist. 6. q. 2. art. 3. & q. 5. de Malo art. 1. S. Bonau. in 1. dist. 2. art. 1. q. 1. Fasol. 1. p. q. 6. art. 2. dubit. vnic. eum Nazario, Molina, Zumel, & Trigoso à se relatis. Recupit. lib. 4. de Deo q. 6. Vekenus de Deo disp. 3. cap. 4. Quiros 1. p. tom. 1. in explic. S. Th. q. 4. art. 2. dub. 3. Et alij communiter, qui controversiam istam attingunt. Quam nonnulli, vt Recupit. Veken. & Quiros de solo nomine, siue de solo modo loquendi potius, quam de re esse arbitrantur. Quandoquidem omnes vtrius-

que sententiæ Auctores in his duobus conueniant, quòd tota bonitas creaturæ eminenter continetur in Deo, & quòd (cum creatura nihilominus in se bona sit) Deus, & creatura plura bona sunt, quam Deus solus; dissidiumque superest dumtaxat, an complexum vtriusque, etsi propter primum non possit dici intensiuè melius, quam solus Deus, possit extensiuè saltem dici melius propter secundum.

Propositio 1.

Deus per coniunctionem cum alijs entibus nullatenus euadit in se perfectior, seu magis bonus, quam sine illis esset.

Hæc propositio priori ex duobus quæstionibus distinctis suppositione primà respondens apud omnes est in confesso. Pro eaque potissimum faciunt ea verba August. ab aliquibus circa quæstionem alteram non bene usurpata ex lib. 6. de Trin. cap. 8. *Cum adhaerescit creatura Creatori, illa fit maior, quam erat, non ille.* Clarius tamen stat pro illa S. Tho. 1. 2. q. 34. art. 3. ad 2. dum examinans propositionem illam. *Illud quod est optimum nullo addito potest fieri melius.* Concedit, illam procedere de optimo simpliciter, per cuius participationem omnia sunt bona, vnde ex nullius additione fit melius. Deum quippe per nullam omnino perfectionem, seu bonitatem à se distinctam perfici posse, seu melior fieri, quam sine illa esset, latè est à nobis demonstratum, q. 2. proposit. 6 in qua hæc continetur; aliaque proinde, aut maiore probatione non eget.

Propositio 2.

Complexum ex Deo, & creaturis non est melius, seu non est maius bonum, quam Deus solus.

Ratio est. Quia, vt ostendimus q. 2. proposit. 4. Deus eminenter continet in se totam omnino perfectionem, seu bonitatem creaturarum tum eminentià virtutis, tum eminentià æquivalentiæ; atque ita Deus nec minus valere, nec minus estimabilis, & amabilis, atque adeò nec minus bonus esse potest solus, quam est complexum ex Deo & creaturis coalescens. Cum enim creaturæ nihil omnino bonitatis addant tali complexo, quod non esset iam meliori modo præcontentum in solo Deo, nihil profecto valoris, nihil estimabilitatis, nihilque amabilitatis ei possunt addere supra id, quod solus Deus habebat; & consequenter nec possunt constituere complexum ipsum aut melius, aut maius bonum, quam erat Deus solus. Etenim iuxta verum illud ac fati vulgare axiomata, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*, vt nequit subiectum vllum euadere bonum sine bonitate, ita nequit euadere magis bonum sine maiore bonitate. At complexum ex Deo, & creaturis maiorem bonitatem non habet, quam solus Deus, utpote qui totam propriam formaliter, & totam creaturarum eminenter in se solo habet, nec aliam ad his complexum habere potest, vt constat. Igitur complexum ex Deo, & creaturis non potest esse magis bonum, quam est Deus solus.

Hinc constat, complexum ex Deo, & creaturis non solum non esse melius, siue maius bonum, quam est Deus solus intensiuè, sed neque extensiuè.

Quoniam esse quodlibet maius alio aliud non est in vniuersum, quam ipsum excedere in aliqua parte, quam supra ipsum addit aut intensiōis, sic fit maius quoad intensiōem, siue intensiue, aut extensiōis; si fit maius quoad extensiōem, siue extensiue. Sed complexum ex Deo, & creaturis nullam omnino partem aut intensiōis, aut extensiōis bonitatis addit supra bonitatem, quam habet solus Deus, iuxta dicta. Igitur tale complexum maius non est quoad bonitatem aut intensiue, aut extensiue, quam est Deus solus. Quod ipsum est, non esse illud melius, seu maius bonum, quam solus Deus aut intensiue, aut extensiue.

75 Dices. Deus, & creaturæ sunt plura bona, quam Deus solus. Ergo & maius bonum. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quia ad pluralitatem bonorum facta est pluralitas subiectorum; quæ bona dicuntur: Deus autem, & creaturæ plura subiecta sunt dicta bona. Ad maioritatem verò boni requiritur maioritas bonitatis. Deus autem, & creaturæ simul non habent maiorem bonitatem, quam habet Deus solus.

76 Dices rursus. Totum est maius sua parte. Sed complexum ex Deo, & creaturis totum quoddam bonum est, cuius Deus est pars. Igitur tale complexum maius est bonum, quam solus Deus. Distinguo maiorem. Totum est maius sua parte secundum id quo excedit partem, verèque subinde est totum respectu eius; concedo. Secundum id, in quo non excedit partem, atque adeo neque est totum respectu eius, nego. Deinde distinguo minorem. Sed complexum ex Deo, & creaturis totum quoddam bonum est, cuius Deus est pars secundum numerum subiectorum,

77 siue entium, quæ bona dicuntur; concedo. Secundum bonitatem, à qua dicuntur bona; nego. Et nego consequentiam. Bonitas quippe Dei non est pars bonitatis complexi, prout opus erat, ut complexum maius quoad bonitatem, atque adeo maius bonum, quam Deus solus, diceretur; sed est ipsa tota complexi bonitas iuxta dicta. Proindeque, ut nequit complexum quoad bonitatem dici totum respectu Dei; sic nec quoad bonitatem maius, & consequenter nec maius bonum, quam Deus solus, dici potest.

Propositio 3.

77 Complexum ex Deo, & ex omnibus alijs entibus tam impossibilibus, quam possibilibus non est melius, seu non est maius bonum, quam Deus solus.

78 Tum quia tota bonitas tam impossibilem, quam possibilem eminenter continetur in Deo & eminentiã virtutis, & eminentiã æquivalentiã, ut supra q. 2. proposit. 4. & 5. probatum est; recurritque argumentatio facta pro præced. proposit. Tum quia bonitas impossibilem ab annexa sibi impossibilitatis imperfectione ita decreuit, seu potius euanescit, ut veniat reputanda pro nulla iuxta dicta supra q. 9. fine. Quo fit, ut aggregatum ex impossibilibus, & possibilibus non magis bonum, quam aggregatum ex solis possibilibus, veniat absolute censendum.

Propositio. 4.

78 Complexum ex Deo, & ex omnibus alijs entibus absolute est minus bonum, quam Deus solus.

Quoniam, datis duabus perfectionibus, seu bonitatibus secundum se præcisè æqualibus, altera sit in perfectione mixta, altera si verò secus, ea, quæ est mixta imperfectione minor, quam altera, absolute venit censenda iuxta proposit. 59. demonstratam disp. 15. q. 7. Sed bonitas solius Dei, & bonitas complexi ex Deo, & alijs entibus secundum se consideratæ æquales ut minimum sunt; siquidem prima non est minor, quam secunda, iuxta præcedentes propositiones: bonitasque talis complexi innumeris aliorum entium in ipso contentorum imperfectionibus mixta est, ut constat bonitas verò solius Dei ab omni imperfectione est prorsus immunis, ut est stabilitum q. 2. proposit. 2. Igitur bonitas talis complexi minor absolute venit censenda, quam bonitas solius Dei; ipsumque subinde complexum minus bonum est, quam Deus solus. Quod erat ostendendum.

79 Ex hac propositione inferitur, compositum, quod ex Verbo diuino, & ex natura humana coalescit in Christo Domino, propter imperfectionem creaturæ, quam humanitas secum fert; minus bonum, atque adeo minus amabile eundem, quam est Deus solus. Quidquid in oppositum censeant, doceantque nonnulli Theologi in tract. de Incarnatione.

QVÆSTIO V.

Verum attributa Diuina inter se comparata, æqualia sint quoad perfectionem, seu bonitatem; vel inæqualia.

80 Sermo non est de Attributis diuinis aut extrinsecis, aut extrinsecis, iuxta diuisionem eorum tractatam supra disp. 2. q. 3. quod attinet ad illa extrinseca, per quæ in conceptibus suis complentur, aut constituuntur, sed tantum de formalitatibus à Deo indistinctis tum eorum, tum aliorum, quæ Deo adæquatè intrinseca sunt; ipsque toti Trinitati communibus: nam plena consideratio de personalibus ad tract. de Trinitate spectat; de quibus nihilominus obiter non nihil attingemus. Quoniam autem omnia huiuscemodi attributa communia quantum ad id, quod habent intrinsecum Deo, & inter se, & cum Deo ipso realiter sunt vnum, & idem; idem autem nec propriè sibi æquale est; nec villo modo potest esse sibi inæquale; dumtaxat agit quæstio præsens de illis, prout sunt distincta per rationem. Quo pacto plures formalitates, seu plura prædicata, seu plura attributa Dei sunt. Quæriturque, an illa ut sic comparata inter se formaliter, & ex proprijs conceptibus æqualia, vel inæqualia sint quoad perfectionem, seu bonitatem.

81 Esse inæqualia docent. Herice testans de communi disp. 15. de Volunt. n. 12. Arriag. disp. 27. n. 64. Recupit lib. 3. de Deo q. 14. Queros de Deo disp. 18. sect. 4. & alij. Esse verò æqualia tenent Arrub. 1. p. disp. 105. à n. 30. & disp. 145. n. 4.

n.4. Granad. tract. 2. disp. 9. Card. de Lugo disp. 2. de Incarnat. sect. 4. & 5. & alij.

82 Porro inter Auctores primæ sententiæ, qui censent, vnumquodque attributorum Dei formaliter, & simplicitate includere in conceptu suo essentiam, & cætera attributa, iuxta dicta supra disp. 2. q. 6. penes explicitum suorum conceptuum præcisè dicunt, esse inæqualia; iuncto enim etiam implicito, æqualia esse consentunt. Ex Auctoribus verò secundæ sententiæ alij propter dictum implicitum in illis suā sententiā inclusum, absolutè dicunt, esse attributa æqualia. Alij censent, ea fortiori æqualitatem à prædicato infinitudinis, quod omnia transcendit; quasi nequeant non esse æqualia, quæ sunt infinita. Alij denique propter exigentiam, quam vnumquodque habere dicunt in quantum diuinum identificationis cum alijs, eorum omnium perfectionem, censent, habere æquivalenter, atque ita omnia æqualia esse.

Propositio I.

83 Multa attributa diuina sumpta formaliter ex genere suo (vt aiunt) sunt inter se inæqualia quoad perfectionem, seu bonitatem.

Ab hac propositione nemo dissentit. Quia, esse attributa diuina sumpta formaliter inæqualia ex genere suo, aliud non est, quam eorum prædicata generica, vel quasi generica (Deo videlicet, & alijs entibus communia) inæqualia esse sumpta formaliter. Et certum est, multa huiusmodi prædicatorum sumpta formaliter quoad perfectionem, seu bonitatem inæqualia esse inter se. V.g. quia prædicata intellectiui, & volitiui abstractè, & secundum se sumpta inæqualia sunt quoad perfectionem; eo quod melius esse censetur posse intelligere, quam posse velle; ideo attributa diuina intellectiui, & volitiui, in quibus illa prædicata contracta ad Deum reperiuntur ex genere suo dicuntur esse quoad perfectionem inæqualia. Similiter, quia vt dicitur Sap. 6. *Melior est sapientia, quam vires*; scilicet ex suo conceptu generico: idcirco est etiam Deo melius ex genere suo esse sapientem, quam esse potentem. Atque ita attributa sapientiæ, & omnipotentia Dei ex genere suo sunt inæqualia quoad perfectionem, seu bonitatem. Pariterque de similibus dicendum est.

84 Quo eodem sensu venit dicendum, melius esse ex genere suo in Patre æterno esse Principium, quam in Filio esse principiatum. Tum meliorem esse ex genere suo originem actiuam, qua Pater producit Filium, quam passiuam, qua Filius producit à Patre. Nempe quia loquendo generice, melius est esse principium, quam esse principiatum, & melius producere, quam produci; vt est melius dare, quam accipere.

Propositio 2.

85 Multa attributa diuina etiam prout diuina, siue contracta ad Deum sumpta formaliter, & præcisè secundum proprium conceptum vniuscuiusque inæqualia sunt inter se quoad perfectionem, seu bonitatem.

Quoniam ea omnia attributa Dei, que sumpta formaliter ex genere suo sunt inæqualia, quoad perfectionem iuxta proposit. 1. etiam considerata vt diuina, siue contracta ad Deum retinent inæqualitatem eandem: quia retinent eandem formaliter conceptus genericos de suo inæquales: quin aliquid de eorum inæqualitate dematur per talem contractionem. Vt enim constat ex generali doctrinā traditā latè à nobis in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. consect. 4. & 6. & disp. 17. q. 5. & 6. conceptus quilibet vniuersalis idem formaliter permanet in statu contractionis, ad quem transit per sui coniunctionem cum subiecto particulari, cui attribuitur; ac erat in statu abstractionis præcisè ab omni subiecto. Atque ita, si duo conceptus vniuersales sumpti formaliter inæquales sunt inter se quoad perfectionem in statu abstractionis, & in statu contractionis per se præcisè considerati remanent inæquales; quia remanent formaliter iidem. Quod maxime verum est, quando ambo contrahuntur per coniunctionem sui cum eodem subiecto, vt euenit in nostro proposito: quia tunc ne extrinsecè quidem possunt aliquam variationem subire à subiectis se conerahentibus; eum sint vnum, & idem. Sic, quia conceptus vniuersales sapientiæ, & potentia inæquales quoad perfectionem sunt in statu abstractionis iuxta illud Sap. 6. *Melior est sapientia, quam vires*, & in statu contractionis ad Deum (quem acquirunt per sui coniunctionem cum Dei essentia vt cum subiecto, iuxta dicta de subiecto attributorum Dei supra disp. 1. q. 10. & disp. 2. q. 1. 3. & 5.) remanent inæquales. Quod est, attributa diuina sapientiæ, & potentia etiam prout diuina inæqualia esse quoad perfectionem sumpta formaliter, prout nostra propositio fert.

Dices. Vnumquodque diuinum attributum prout tale includit in suo conceptu etiam sumpto formaliter essentiam, & omnia alia attributa Dei, atque adeo totam omnino Dei perfectionem. Igitur omnia etiam sumpta formaliter sunt quoad perfectionem æqualia. Nego antecedens. Quod falsum esse, latè probaui supra disp. 2. q. 6.

Dices deinde. Vnumquodque attributum diuinum quæ tale infinitum est quoad perfectionem; quia prædicatum infinitudinis transcendens est omnes diuinas perfectiones etiam sumptas formaliter, prout supra disp. 14. q. 1. & 4. statutum est. Igitur ab huiusmodi infinitudine omnia attributa diuina quæ talia æqualia euadunt quoad perfectionem. Quidquid sit de antecedente, loquendo formaliter. Nego consequentiam. Quia bene possunt esse inæqualia extrema, quæ sunt infinita, prout vniuersè ostensum est supra disp. 13. q. 2.

Dices præterea. Quoduis attributum diuinum eorum, de quibus nunc egimus, prout diuinum est, exigentiam essentialem, siue necessitatem habet etiam sumptum formaliter identitatis sui cum cæteris omnibus: quia talis exigentia, siue necessitas vnum ex prædicatis est transcendentibus omnes diuinas formalitates identificatas realiter. Igitur quoduis ex dictis attributis hoc titulo fert secum saltem æquivalenter omnes aliorum perfectiones. Atque ita ab hoc titulo quoad perfectionem euadunt omnia æqualia. Respondeo, singula attributa diuina identificata realiter habere quidem etiam sumpta formaliter exigentiam, siue necessitatem identitatis sui cum omnibus alijs; à talique prædicato se transcen-

dente fortiri quidem illa æquivalentiam integræ perfectionis Dei, & consequenter æqualitatem quoad perfectionem, seu bonitatem, prout propositione sequente exponemus. Quia tamen prædicatum istud non transcendit illa per inclusionem, sed per adiectionem iuxta doctrinam vniuersalem de prædicatis transcendentibus traditam à nobis latè in Pharo Scienc. disp. 17. q. 20. idcirco illa possunt, & plerunque solent concipi sine tali prædicato, siue cum præcisione ab illo: quo pacto concepta nec habent dictam æquivalentiam integræ perfectionis Dei, neq; inde oriundam æqualitatem. Quo fit, vt, quæ ex proprijs conceptibus præcisæ ab eâ necessitate identitatis cum alijs inæqualia sunt, concepta cum tali præcisione, prout nos de illis loquimur in præsentii propositione, non possint non semper esse inæqualia. Vnde illius veritas firma persistit.

89 Ex eâ autem sequitur, personas etiam diuinas Patris, Filij, & Spiritus sancti inæquales ex præcisæ suis conceptibus esse, vt concedunt Fasil. tom. 3. in 1. p. q. 42. art. 1. Recupit. lib. 3. de Deo q. 14. & Quiros tract. 2. de Deo disp. 18. sect. 4. conceptas scilicet cum præcisione à necessitate identitatis suarum personalitatum cum essentiâ, & mediâ illâ cum totâ perfectione Dei.

Propositio 3.

90 Omnia attributa diuina identificata realiter à necessitate metaphysicâ identitatis sui cum cæteris, cum eotâque perfectione Dei, quam necessitatem vnumquodque etiam formaliter sumptum fert secum annexam, æqualia euadunt inter se quoad perfectionem, seu bonitatem.

Quoniam necessitas metaphysica identitatis vnius conceptus cum altero æquivalenter est ipsa identitas. Atque adeo quibus conceptus formaliter prout necessitatis ad identitatem cum altero

æquivalenter habet in se totam perfectionem, siue bonitatem alterius; tam perfectusque subinde, tam bonus, tam æstimabilis, & amabilis censetur vt sic, quàm totum ex utroque per ipsam identitatem resultans. Quoduis igitur attributum diuinum formaliter prout necessitatum ad sui identitatem cum cæteris, cum totâque perfectione, seu bonitate Dei æquivalenter habet in se totam ipsam perfectionem, seu bonitatem ipsius Dei; tam perfectumque subinde vt sic, tam bonum, tam æstimabile, & tam amabile euadit, ac est totus Deus. Cùmque omnia, & singula Dei attributa identificata realiter similiter considerata formaliter idem eodem titulo habeant, atque quoduis seorsim; planè consequitur, omnia prout sic æqualia esse quoad perfectionem, seu bonitatem. Quod erat probandum.

Et confirmari potest. Quia, sicut Deus 91 titulo causæ primæ creaturarum tam bonus est solus, quàm integrum aggregatum ex ipso, & creaturis; eo quòd ultra suam bonitatem formalem eminenter habet in se eo titulo omnem creaturarum bonitatem, etsi eam non habeat formaliter, prout ex sententiâ omnium statuimus q. 4. Ita quoduis attributum diuinum titulo necessitatis omnimodæ ad sui cum cæteris omnibus identitatem tam bonum est sumptum seorsim prout tali necessitate effectum, quàm aggregatum ex ipso, & ex omnibus alijs; eo quòd ultra suam bonitatem formalem æquivalenter habet in se eo titulo omnem aliorum bonitatem, etsi eam non habeat formaliter. Cùmque omnia, & singula, quæ realiter sunt identificata, idem eodem titulo habeant, non possunt non omnia, & singula vt sic æqualia esse quoad bonitatem.

Vnde etiam apparet, quomodo personalitates 92 diuinæ, personæque ipsæ Trinitatis æquales omnino inter se euadant quoad perfectionem, seu bonitatem à necessitate, qua singulæ necessitate sunt ad identitatem sui cum essentiâ, & mediâ illâ cum tota perfectione Dei.

QVAESTIO I.

DISPUTATIO XVII.

QQA TRA-